# DISSERTATIO DE ORDINE TOTIUS UNIVERSI CEU PRIMO JURIS NATURALIS PRINCIPIO AUCTORE...

Frederik Adolf : van der Marck

Digitized by Google

EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

10 · 3 · 15

Digitized by Google

10. 3. 15

Digitized by Google

10:A·3.

10·3·15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AI

# DISSERTATIO
DE
# ORDINE TOTIUS UNIVERSI
CEU
## PRIMO JURIS NATURALIS PRINCIPIO,

*EDITIO ALTERA,*

Emendatior ac concinnior
variisque animadverſio-
nibus aucta.

*AUCTORE*

FRID. ADOLP. VAN DER MARCK, JCTO.

D U I S B U R G I,

Apud Vid. *Jo. Georg. Boettigeri* & *Fil.*

*M D C C L V.*

10. 3. 15

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRAEFATIO PRIORIS EDITIONIS.

ITa degitur hoc aeui: *Laudamur ab his, culpamur ab illis.* Quae mea hac in re fata fuerint, pluribus exponere circumſpecta prohibet rerum prouidentia. Interim vero tacitus mecum philoſophor experiundo edoctus, quod ſaepies illud TACITI obtineat: *priuata cuique ſtimulatio, vile decus publicum.* Adeo inania ſunt aliorum de aliis iudicia, quae plerumque affectibus et priuatis ſepoſito bono publico reſpectibus determinantur. Ideoque ſapientis eſt, neque ex aliorum laudibus elatos concipere ſpiritus, nec maleuolorum vituperia et inuidorum inſultus morari, ſed ſemper de ſe ipſo absque *philautias* et nimiae *obſequioſitatis* praejudiciis omni partium ſtudio inſuper habito ſincere judicare, id eſt, *noſſe ſeipſum.* Equidem non diffiteor, quod tunc bono viro interdum juſta exinde ſuboriatur animi aegritudo, ubi non ſolum, cum veritates reiectis inueteratis et pernicioſis aliorum praejudiciis candide proponat, acerrimas inſulſiſſimasque contradictiones experiatur, ſed et quando aliam conuiciandi occaſionem non vident maleferiati, ſaepies (quod ſtupendum) ſub orthodoxiae pallio rancidum inuidiae ſqualorem eructent. Eadem fere et mihi ſaeua animum perculit tempeſtas, quamprimum enim inauguralem, quam abhinc tri-


enni-

ennium pro gradu Doctoratus in REGIA, quae Teutoburgi Cliuorum floret, Academia publice habui, diſſertationem juridicam in medium protruſeram, fuerunt, qui iam, cum de MORTE HOMINIS NATURALI ſcripſiſſem, naenias mihi proterue cantabant et qualicunque famae ac exiſtimationi meae funus et exequias aſtute parabant; ſed tamen ego omnia patienter pertuli nec quicquam hactenus obtrectatoribus meis repoſui, magno gaudio gauiſus, quod tam intra, quam extra patriam VIRI illuſtriſſimi et in rebus publicis perſpicaciſſimi ac prudentiſſimi meam cauſſam egerint magnique nominis THEOLOGI ſuam mihi et publice et priuatim exhibuerint beneuolentiam: adeo irritus fuit inuidorum conatus. Aſt eheu! iam iterum crepant fores! Me miſerum! iam iam deſperata res erit! Ecce cateruatim in ſcenam prodeunt famae veſpillones ſatis cothurnati! Quid ego? Eloquar an ſileam? ſiccine conclamatum eſt de mea orthodoxia? ſed ſalua res erit. Vos modo, ô, BONI! date operam, ut cum ratione animaduertatis. Delicatum adgredior thema: thema nuper a plurimum reuerenda FACULTATE THEOLOGICA in inclyta, quae TRAJECTI ad RHENUM floret, Academia inter theſes ab orthodoxia deerrantes publice recenſitum. Obſtu-

Digitized by Google

ſtupui hancce haeretificinam, paullisper haeſitans, num forſan et ego in arduo hocce themate aliquid humani paſſus eſſem et a vero ac recto tramite ex imbecillitate naturali aberraſſem. Statim autem omnia, quae in ambitu ORDINIS TOTIUS UNIVERSI ceu primi juris naturalis principii occurrunt, perquiſitius penſitaui, ſed tamen nihil inueni, quod ab orthodoxia vel tantillum abeat. Quae igitur haereſis in hocce themate eſſet, anxie iterum et iterum cogitabam, ut tandem veternum illum, qui me hac in re occupauerat, deponerem atque THEOLOGIS ULTRAJECTINIS, VIRIS pereruditis ſolidiorisque doctrinae laude clariſſimis, aſſurgerem. Sed tamen, qui meus forſan eſt hic in re ſtupor, ex iterata meditatione hocce, quod arripui et defendi, primum juris naturalis principium ſatis orthodoxum eſſe pertinaciter mihi perſuadebam. Subuerebar autem, ne, dum meam hac de re *orationem Academicam* in publicum prodire juberem, forent nonnulli ſemidocti blaterones, qui nodos in ſcirpo quaererent deque nimia forſan ſcribendi libertate horrendos tollerent clamores atque ſic fluctus in ſimpulo nimis laborioſe mouerent; hinc ſatius rebar, quod ORDO TOTIUS UNIVERSI cum AUGUSTI Aiace in

 ſpon-

Digitized by Google

ſpongiam incumberet et mea de hoc themate habi-ta diſſertatio aeternis tenebris ſuffunderetur, quam in lucem proditura intempeſtiue excitaret tragoediam. Verum anceps et incertus mouebar demum ſuaſu et conſiliis prudentiſſimorum doctiſſimorumque VIRORUM, quorum integerrima voluntas mihi ſemper pro lege eſt, QUI que proinde mihi auctores fuerunt, ut adverſantium rumuſculos plus iuſto haud curarem. Vicit praeterea animi ſollicitudinem, *ingenue* LECTOR! vicit integerrimus ſincerae veritatis amor. Quid enim unquam magis abſurdum magisque genuinae orthodoxiae contrarium eſſe poteſt, quam non ex certis et indubitatis principiis clare et diſtincte, ſed potius ex aliorum auctoritate veritates dignoſcere? omnis ſane orthodoxia aut ex ſola *ratione* aut ſimul ex *reuelatione* diiudicari debet. Omnibus nobis idem heic cognitionis medium; quippe perſuaſio veritatis formetur ex apprehenſione intellectus: intellectus vero ea eſt indoles, ut non poſſit rei alicui adſenſum praebere aliter, quam ea res ſe ipſi intellectui offert. Voluntatis quoque eſt ſponte et libere agere et ſecundum intellectus ideas ſe determinare, ideoque naturale eſt unicuique, ſuas actiones *morales* ita inſtituere, prout cuiusuis intellectus ſibi normam *notionalem*, ut ita loquar, *moralitatis* repraeſentat. Qui vero aliorum *auctorita-*

*tem* ſequitur, is nullam habet *viuam* cognitionem VERI, nullam proinde certam credendi et viuendi normam, nullam per conſequens veram Religionem, quae ſine *viua* cognitione veritatis eſſe nequit: Sine *viua* autem cognitione VERI nulla quoque eſt interna animi emendatio. Viden, igitur, *erudite* LECTOR! quam periculoſum ſit in *moralibus* aliorum *auctoritati* coeco quodam impetu inhaerere, ut reuera, qui in moralibus credit, quia alius forſan ita ſibi perſuadet, ab omni moralitatis fundamento et ſic quoque à vera orthodoxia quam longiſſime aberret. Neſcio igitur, qua fatali rerum moralium viciſſitudine factum fuerit, ut qui PII et ORTHODOXI ſibi videri volunt, aliorum quorundam *auctoritate* quaſi effaſcinati, abiecta, quam cariſſimam habere debebant, aurea et rationali libertate, praeceptoribus quondam ſuis, quam veritati addictiores, illis ſolis veluti glebae adſcripti mentem ſubiiciant vilemque ſeruitutem magna confidentia exoſculentur. Quî enim aliter fieri poſſet, ut tot tantaque ORTHODOXIAE praejudicia longe lateque ubiuis adhuc graſſentur? His igitur, qui aliorum auctoritatem barde ſequuntur, non immerito occinit HORATIUS L. 1. Ep. 19.

*O imitatores, ſeruum pecus, ut mihi ſaepe*
*Bilem, ſaepe iocum veſtri mouere tumultus!*

Nam ſane qui ORDINEM TOTIUS paullo perquiſitius penſitauit, is facile percipit, quod absque interiori voluntatis emendatione nulla rationalis ſit mentis tranquillitas, nulla proinde vera felicitas: emendatio vero voluntatis ſupponit emendationem intellectus, quia voluntas eſt ſequela intellectus: intellectus autem in *viua* cognitione VERI demum perficitur. Aſt non poſſumus veritates praeprimis *morales* clare et diſtincte percipere, niſi diſcamus peruerſa praejudicia ſeponere et prauos affectus opprimere. ORDO itaque ac *finis* noſtri intellectus et voluntatis atque per conſequens DIVINA LEX NATURALIS exigit, ut oneroſo, ſub quo miſere contabeſcunt adhuc ſaeculi noſtri praeclara quaedam ingenia, praejudiciorum jugo nos ſubducamus et ſic ſepoſita omni humana auctoritate ac ſectarum ſtudio et anteceptis opinionibus valere iuſſis diuinas veritates, ex quarum viua cognitione perficimur ſeu noſtra promouetur felicitas, libere et exacte ſecundum genuinas ratiocinandi regulas inquiramus et ab hoc inſtituto nec metu nec ſuperſtitione nos deterreri patiamur, quin potius, ex SENECAE praecepto, aequo animo imperitorum conuicia audiamus et, dum ad honeſta tendimusq́, ipſum contemtum contemnamus. Age! igitur hac ratione, age ſis! *ſubtiliſſime* LECTOR!

OR-

# PRAEFATIO.

ORDINEM TOTIUS UNIVERSI mecum perquiſitius penſita; praeprimis cum haec ipſa veritas, quam de ORDINE TOTIUS UNIVERSI CEU PRIMO JURIS NATURALIS PRINCIPIO defendendam ſuſcepi, tanti ſit momenti, ut ſine hac nulla moralitas, nulla Reſpublica, nulla denique Religio unquam conſtare queat. Quicquid itaque alii forſan etiam me haereſeos propterea inſimulabunt, ego tamen malo haereticus audire et cum bonis omnibus hac in re veritati cordate litare, quam ob metum calumniarum aut ex praejudicio humanae auctoritatis diuinam veritatem contra propriam conſcientiam cum peruicacia quadam impie denegare. TUAM autem fidem, *caudide* LECTOR efflictim obteſtor, ne et TU me praecipiti condemnes ſuffragio nec prius poſcas tabellam, antequam cauſſam dixerim. Ecce! integra iam TIBI heic proſtat mea oratio, nullis quidem argumentis ex aliorum idem mecum ſentientium auctoritate deſumtis, ſed inuictis tamen, quantum mihi perſuadeo, rationibus innixa. Si autem nihilominns me errantem hinc inde inuenies, ſcias ô BONE! me lubenter velle doceri. Hinc ſpero quoque, non fore, ut quispiam, niſi admodum obeſae ſit naris, me propterea heterodoxiae accuſet, quia forſan celeberrimus ille quondem ULTRAJECTINUS ANTE-

CES-

Digitized by Google

CESSOR, ABRAH. WIELINGIUS idem hocce principium juris naturalis ex ORDINE TOTIUS UNIVERSI formatum defenderit. Nam quid inde? Licet enim ipſe SPINOSA, quod tamen haud opinor, Naturae Ordinem ceu juris Naturalis principium propugnaſſet; Ideone igitur et immortalis WIELINGIUS Spinoſiſmi reus fieret? Neutiquam. Nonne enim ipſi Diaboli (quod præfiſcine dixerim) quasdam veritates agnoſcunt, ecquis autem propterea dicet, homines, qui easdem veritates defendunt, idcirco DIABOLICOS eſſe? Apage hiulcam iſtiusmodi demonſtrandi inertiam! Pudeat doctos VIROS adeo ineptire! Nihil igitur curo, num acutiſſimus WIELINGIUS vel alius quidam hocce principium defenderit, nec ne; etenim eadem ſemper manet veritas, quae nec à laudato WIELINGIO nec à plurimum reuerenda FACULTATE THEOLOGICA Academiae TRAJECTINAE, nec ullo alio homine vel quocunque coetu hominum dependet, ſed certis et indubitatis rationibus clare et diſtincte ubique demonſtrari debet. Quid ego hac in re praeſtiterim TIBI, ô OPTUME! judicium eſto. Immo tanta eſt apud me veritatis perſuaſio, ut fiducia fruar certiſſima, ipſos perſpicaciſſimos THEOLOGOS TRAJECTINOS nullo colore mihi heterodoxiae notam exinde inurere poſſe, dummodo meminerint, quod ſecundum antiquam fiducias formulam *inter bonos bene agier oporteat*. Hiſce vale, *amice* LECTOR! et propediem, ſi vita ſuppeditauerit, quasdam à me lucubrationes altioris indaginis exſpecta. Vale iterum mihique pro TUA humanitate faue! Dab. Embricae menſ. Novembr. A. R. S. MDCCXVIII.

FRI-

FRIDERICI ADOLPHI VAN DER MARCK

# ORATIO INAUGURALIS
DE
## ORDINE TOTIUS UNIVERSI
CEU
PRIMO JURIS NATURALIS PRINCIPIO;

*Habita in Acad:* DUISBURGENSI *ad* D. III. *Sextilis* MDCCXLVIII.

ΑΛΗΘΕΥΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ.

OMni ſane dignum eſt attentione, *Auditores, quotquot hic adeſtis, omnium ordinum, graduum ac dignitatum, ſuo quisque ordine atque loco, honorandi, colendi*, dignum eſt, volebam dicere, piæ mentis attentione, quod videamus homines in dijudicandis veritatibus *mathematicis*,

 præ-

Digitized by Google

præprimis *arithmeticis* omnes in unum conſentire; aſt in diſcernendis veritatibus *moralibus* (a) ne duos quidem inter ſe, immo ſæpies nec ipſum hominem cum ſemet ipſo ſatis convenire.

Etenim videmus miram inter diverſos diverſis ſtudiis addictos animorum diſparitatem: videmus ſtupendam in Religione diſſenſionem: videmus ſummam inclinationum humanarum diverſitatem: videmus ingentem inter varias nationes diſcrepantiam. Interim tamen omnes fere, quæ eſt mentis humanæ ſtolida ſuperbia, ſibi Saperdæ videntur et ſuo vivere genio ſuiſque abundare opinionibus pulchrum ducunt.

Equidem ſi ad primum, in quo DEUS hominem conſtituit, ſtatum reſpicimus, *Auditores*, in facili eſt demonſtrare, genus humanum in feliciſſimo iſto ſtatu ſecundum imaginem ſanctiſſimi NUMINIS creatum nullis turbulentis, pravis ſpuriisque affectibus fuiſſe obnoxium, ſed unumquemque officia erga alios *ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας* ultro præſtitiſſe. Nulla proinde in hoc ſtatu ambitio, nulla avaritia, nulla libido, nulli deniqne tot tantique exinde propullulantes inordinati affectus hominem in transuorſum repiebant atque per conſequens menti nullis peruerſis præjudiciis

(a) *Quid enim? An difficile Divinæ fuiſſet Majeſtati, ſi ei placuiſſet, omnem humani generis Religionem ſub unam coarctare formulam, unam omnibus de Religione inſpirare opinionem; Sicut omnibus parem dedit ſenſum ſitis & famis, frigoris atque Æſtus? Ac ſicut omnibus circa Arithmeticam eundem formavit Veri intellectum? Aſt aliud Deo in numeris, aliud in Religione placuit. Hinc merito immenſam hac in re Dei ſapientiam miratur atque inde argumentum pro* libertate Religionis *ſumit eruditiſſimus* G. *NOODTIUS in diſſert*, de Religione ab imperio Jure Gentium libera.

Digitized by Google

ciis obnubilatæ, ſed alia ex aliis in illimi ſerenitate meditanti nullus unquam error obſtrepebat.

Intellectu itaque ſemper perſpicue et diſtincte dijudicante, voluntas commoto et æſtuante corporeorum humorum motu ſenſuumque depravatis inde impreſſionibus illecebriſque carnis non impedita, ſecundum haſce rationis ſublimes ideas ſancte decernebat. Ac proinde iræ, invidiæ et mille aliæ virtutum corruptelæ ceſſabant: omnibus ſcilicet in viva cognitione VERI ad quævis officia erga DEUM, erga ſe ipſos, erga alios creatis ſive natis, paratis, aptis, bone Deus! totus mundus, quam late patet, nil niſi cultus divini mutuique amoris ac omnium omnino virtutum ſchola eſſet exornatiſſima, ita ut in cognitione VERI et electione BONI ſepoſitis pravis reſpectibus perfectiſſimus foret omnium conſenſus.

Sed jamiam poſt funeſtum protoplaſtorum et noſtrum in ipſis lapſum eheu! videmus homines in cognitione VERI à *ſenſibus* fere pendere. Et hæc eſt, opinor, vera cauſſa, quod in veritatibus *mathematicis*, potiſſimum *arithmeticis* omnes in unum conſentiamus, cum nullum heic peruerſa humana philautia incommodum ſentiat nullumque præjudicium habeat; aſt in veſentiat nullumque præjudicium habeat; aſt in veritatibus *moralibus*, late ſic dictis, et *metaphyſicis*, quatenus nimirum hæ cum illis ſunt coniunctæ, tanta occurrunt tamque ſtupenda juxta ac ſtupida hominum præjudicia, ut quivis pæne veritatem ſuæ Religionis omnisque moralitatis non ex indubitatis ac certis principiis, ſed ex ſua depravata *imaginatione* dimetiatur.

Prædominantur inſuper hic tria illa vitia voluntatis cardinalia, ex perverſa *philautia* ſuborientia, quæ intellec-

tellectum hominis mirum quantum! obfuſcant: inde eſt, cur homines *Voluptati* et ignaviæ addicti plerumque ſoleant non ex nexu ſcientiarum diſtincte et perſpicue, ſed potius ex *aliorum auctoritate* ſive ex præjudiciis *antiquitatis*, *novitatis*, *alterius honoris*, *famæ alicujus dogmatis* ſimilibusque *præcipitantiæ* ſequelis veritates æſtimare et ſuperficiarie tantummodo diſcernere. Econtrario homines vanæ *ambitionis* œſtro perciti, cum alios alto ſupercilio deſpiciant, nihil rectum putant, niſi quod ipſorum opinionibus accurate conveniat; hinc aliorum dogmata nimis temerarie illudunt, ſuggillant ſibique ſolis ſapere videntur; ideoque ex ſuo præjudicio *receptæ hypotheſeos* omnia dijudicant & pertinaciter defendendo gloriam affectant. Aſt homines ſordidæ *avaritiæ* dediti, cum timidiuſculi ſint, ut lucrum quoddam amittant, plerumque mercenaria, ut ita loquar, dogmata fouent; hinc ex *nimia obſequioſitate* erga alios, a quibus commendationem vel aliud commodum ſperant aut damnum timent, ipſorum gratiam ſervili aſſentatione aucupari geſtiunt et communem Doctorum gregem abjecto animo ſequuntur atque ſic pecudum inſtar, non qua eundem eſt, ſed qua itur, eunt.

En! igitur, *Auditores*, nævos judiciorum (b) ſuccinctim et quaſi per ſaturam tantummodo recenſitos, ex

(b) *Mirum quantum præterea judicium pervertunt* æmulatio, invidia, prava ſuſpicio, odium, ira, *Zelus*, *aliique* affectus, *qui adhuc, proh pudor! inter Eruditos paſſim conſpiciuntur;*

Nubila mens eſt — vinctaque frænis —
Hæc ubi regnant.

*BOETH.* Conſol. Philoſ. *lib.* I.

Digitized by Google

ex quibus veritates *morales* vulgo æſtimari ſoleant. Atque ex hac putida intellectus humani latrina ebulliunt tot tantaque præjudicia et inde proveniunt omnes omnino errores.

Tanta vero eſt humanæ indolis perverſitas, ut quo majorem ex *viva cognitione* VERI felicitatem obtineamus, eo majorem offendimus falſorum praejudiciorum pertinaciam. Quis enim veſtrum, *Patres Academiæ conſcripti ceterique Auditores, quotquot hic adeſtis, æſtumatisſimi*, quis, inquam, veſtrum mecum non miratur monſtroſum illud praejudicium (c) *orthodoxiæ*, quo quisque Religionis ſuae veritatem mordicus defendit et obfirmata mente credit? Adeo ut, teſtante hiſtoria eccleſiaſtica, fuerint, qui pro illius veritate horrendae mortis ſubierint martyrium, (d) cum ta-



(c) *Huic præjudicio orthodoxiæ etiam accenſeri poteſt illud* partium ſtudium, *quod ſemper inter ipſos orthodoxos, eos præſertim, qui SACRIS præſunt, regnavit; ſic inter* Pontificios, *omnes* Jeſuitæ *de certis quibusdam dogmatibus aliter ſentiunt, quam omnes alterius ordinis homines: Omnes* Franciscani *aliter quam omnes* Dominicani: *omnes* Sorbonæ *Theologi, quam omnes* Tranſalpini. Lutheranorum *quoque Theologi in varias ſectas abeunt. Et inter* Reformatos Coccejanorum *et* Voetianorum *ſtudium mentes in diverſa trahit; imo inter ipſas Academias, quod ſane ridiculum eſt, graſſatur hoc* partium ſtudium. *Ita igitur veritas ſupprimitur! Quivis ſuæ ſectæ adhæret. Sapiens proinde et perſpicaciſſimus quisque ſibi ab ejusmodi ſectarum ſtudio maxime cavet ac pie ſemper meditatur ingenuum OPTATI MILEVITANI ad* Donatiſtas *dictum: NEMO VOBIS CREDAT, NEMO NOBIS; OMNES CONTENTIOSI HOMINES SUMUS vid. SAM. WERENFELSII Diſſert. Apolog.* pro plebe Chriſtiana adverſus Doctores, judicium de dogmatibus fidei illi auferentes *Cap. IX. fere in fin.*

(d) *Unde á Theologis recte demonſtrari ſolet, martyria non eſſe genuinum characterem veræ Eccleſiæ et dari etiam martyres Diaboli vid. CHRIST: THOMASII* cautelæ circa præcogn. jurisprud. part. 1. Cap. XIX. § 69. not. n.

men impoſſibile ſit, omnes in diverſa Religione veritatem agnoviſſe; contradictoria enim non poſſunt ſimul eſſe vera. Ecquis igitur diram ejuſmodi et inhumanam non deteſtatur crudelitatem, qua homines, qui ſibi πολλης μετα φαντασιας orthodoxi videri volunt, diſſentientes ſive haereticos, (e) quos vocant, perſequuntur

untur

(e) Aliter in ſenſu Theologico, aliter in ſenſu Civili hæreſis definiri debet. In ſenſu Theologico quoque vel in bonam vel in malam partem ſumitur. Sic PAULLUS ſectam Phariſæorum dicit αιρεσιν, Act. XXVI. vs. 8. haud dubie in bonam partem. In malam vero partem vox hæreſeos accipitur. 1 Corinth. XI. vs. 19. vid. J. H. BOEHMERI Jus Eccl. Proteſt. Tom. IV. Lib. V. Tit. VII. § 2. Confr. JO. GEORG. PERTSCHII. Hiſt. Eccleſ ſec 1. Cap. XVIII. § 1. et ſeqq. ubi de varia ſignificatione hæreſeos late agitur. In ſenſu autem Civili hæreſis eſt conſtans diſſenſus à Religione publice approbata. Unde facile contingere poteſt ut in ſenſu Civili Religio Hæretica dicatur, quæ talis non eſt in ſenſu Theologico, et vice verſa in ſenſu Theologico Religio ſæpius hæretica dici debeat, quæ tamen in ſenſu Civili ob publicam approbationem Orthodoxa eſſe poteſt. In ſenſu itaque Theologico qualibet Eccleſia, imo quilibet privatus veritatem penes ſe eſſe conſtituit. Alter alteri imputat errores et ſe Orthodoxiam poſſidere cenſet. In hoc igitur ſenſu omnes æquali jure gaudemus et ſi qua alia forſan mihi ab altero circa articulum fidei fundamentalem eſt ſententia, ipſe Ego illi ſum hæreticus et ille mihi. Nulla proinde homini hic competit jurisdictio, nulla poteſtas legiſlatoria, nulla poena; e quibus evidentiſſime conſequitur hæreſin non eſſe crimen humanæ poteſtati ſubjectam; nullus enim Princeps leges veritatis præſcribere poteſt, nam æquale ipſi jus hac in re cum ſubditis eſt et ſic pro hac parte revera non exiſtit Princeps. Summum illud Numen, cui ſola hic competit Jurisdictio, ſolus eſt Princeps.; omnes homines ſine diſtinctione hac in ee ſunt ſubditi. Nihil itaque reſtat, quam ut haeretici ſolidiori doctrina in viam ſint reducendi: ceterum omnis poene haereſeos Deo, Soli Principi, eſt relinqnenda. Vid. Diſſert. noſtr. de morte hominis naturali. Edit. Anno MDCCXLV. ibique § LI. Verum in ſenſu Civili Eccleſia eſt quidem Societas libera, omnis coactionis et imperii expers,

pu-

Digitized by Google

untur atque eos ſub comminatione maximorum cruciatuum quaſi obtorto collo in ſuas, quas de Religione fovent, opiniones pertrahunt, famæ et vitæ ulterius diſſentientium magno cum Zelo (f) non tantum per occultas machinationes inſidiantur, ſed et aperta vi et immani pœna eos afficiunt, immo armis et bello ubique ſuam Religionem cum inſania quadam propagare ſtudent? Tanta eſt inolitæ opinionis vis et pervicacia! Tam depravata et ſuperſtitioſa eſt imaginatio!

*Tantum Relligio potuit ſuadere malorum.*

Si præterea reliquum moralitatis campum perluſtremus, ohe! et heic

Infe-

*puta in illis, quae* finem eccleſiarum *ſcil.* procurationem æternæ ſalutis, *concernunt, ſed quia haec religioſa ſocietas* Collegium in Republica *conſtituit, non poteſt non inſtar reliquorum collegiorum* inſpectioni Principis *ſive cujusvis ſummae in Republica poteſtatis ſubeſſe, ne quid ab Eccleſiis in detrimentum Reipublicae geratur ac ſub pallio Religionis turbae fiant; inde etiam ex hoc fonte* Jus Principis circa ſacra *fluit, ut exigente ita neceſſitate Principi integrum ſit,* Doctrinam publicam *determinare, in quo genuinus modus decidendi* controverſias theologicas *quaerendus eſt. Rationi tamen et aequitati repugnat* diſſentientes *ſive* hæreticos *intuitu dogmatum* poenis *afficere aut* bello et armis *propagare Religionem, cum potius commendanda maximopere in Republica ſit* Tolerantia *variarum Religionum. Quod latius demonſtravi in Tractatu, qui jam ſub prelo deſudat;* de jure et obligatione Hominis et Civis ad et circa Religionem.

(f) *Ab hoc intempeſtivo Zelo perſequendi diſſentientes ſive hæreticos, quos putant, nulla Eccleſia Chriſtianorum* externa *immunis fuit. De* Pontificiis *hoc notiſſimum eſt. De* Lutheranis *quoque teſtatur, hiſtoria eccleſiaſtica, ipſos quondam in Germania* Reformatis *quæſtionem moviſſe, ne* pace Religioſa, *id eſt,* libertate conſcientiæ *fruerentur. Et ſic eandem libertatem, quam ipſi contra* Pontificios *tantopere urgebant, aliis iterum ſcilicet* Reformatis *denegarunt. Et ne* Refor-

*Infelix lolium et ſteriles dominantur avenæ.*

Vultis, *Auditores*, ut unico lemmate id vobis ob oculos ponam? Agite, ſultis! perpendamus tantummodo FUNTAMENTUM OMNIS MORALITATIS ſeu PRIMUM JURIS NATURALIS PRINCIPIUM. Fluctuantur hic hilarioris famæ Theologi, vacillant primi ſubſellii Jurisconſulti, titubant ſolidioris doctrinæ Philoſophi.

An itaque in tanta incertitudine nihil certi determinemus? Num incerto adhuc primo principio omnia exinde deducta principiata, quæ vocant, incerta et dubia pronunciemus? Abſit! abſit! ***Auditores***, quam lon-

formati *babeant, cur boc* Lutheranis *exprobrent, ſciant JOANNEM CALVINUM libro quodam de* hæreticis jure gladii puniendis *Anno* 1554. *publice edito animum ſuum perſecutionis palam prodidiſſe, immo ipſa quoque* hæreticidia *propugnaſſe, eo ſine dubio couſilio, ut ultimum ſupplicium, â SERVETO decreto Magiſtratus Genevenſis ſumtum, ab omni iniquitate purgaret: quod omnes probi merito reprobarunt. Ceterum ejusdem cum* Calviniano *argumenti integrum librum de* hæreticis a Civili Magiſtratu puniendis *THEODORUS BEZA, vir magnus ceteroquin, conſcripſit eodem Anno* 1554. *â ROBERTO STEPHANO typis mandatum, adverſus MARTINI BELLII (i. e. SEBASTIANI CASTALIONIS)* farraginem, *ut vocat. Pariter Anno* 1584. *ſub nomine MINI CELSI Senenſis editus eſt libellus de* hæreticis capitali ſupplicio non afficiendis, *quibus additæ ſunt THEODORI BEZÆ et ANDREÆ DUDITHII epiſtolæ contrariæ, ut pateat, etiam hos, qui ſacris Romanis nuntium miſerunt, non tamen ſemper a credulitate Romana deſciviſſe, ſed eandem ſæpies cum Pontificiis* perſecutionis tubam *coece ſequi. In* Helvetia *quoque eodem pietatis dicam, an impietatis Zelo ingentem* Anabaptiſtarum *numerum aquis ſuffocatos novimus, quod æquum ſcilicet videretur, talionis lege per aquam puniri, qui in aqua peccaviſſent. Sed de hisce plura in cit. Tractatu meo de* Jure et Obligatione Hominis et Civis ad et circa Religionem.

Digitized by Google

longiſſime abſit à nobis, ut irrationali ſcepticiſmo et effrenato Libertiniſmo in tanta moralis doctrinæ luce portam et feneſtras aperiamus. Inſitas enim adhuc habemus κοινας καὶ ἐμφυτȣς ἐννοιας, (g) quibus ſingulas res definire et per formam quandam ſuam diſcernere, immo quibus non ſolum in hoc UNIVERSO *naturas* et *cauſſas* et *cauſſarum* ORDINEM, ſed & CAUSSARUM CAUSSAM altius meditari poſſimus. Deprehendimus proinde diſtinctas in nobis veritatum ideas, quibus verum falſumque, fas et nefas, bonum ac malum per cauſſas et rationum momenta dijudicare et ſuo quodque pretio æſtimare ac ſecundum hanc communem notionum normam veluti ad Lydium quendam lapidem examinare queamus: datur per conſequens ad-

B

(g) *Non vero puto, quod ſummus Legiſlator notam Divinarum ſuarum perfectionum mentibus noſtris per* ideas innatas *abſtracte conſideratas luculenter ſatis impreſſerit, adeo ut abſque* Ordine Univerſi *leges naturales inde adſtruere liceat. Potius exiſtimo, hasce ideas innatas ſive facultates ratiocinandi et notiones communes, vel quocunque etiam nomine eas inſignire velis, eſſe tantum* principium cognoſcendi. *Principium vero* Esſendi, *quod vocant, ceu* Ratio determinans *omnium noſtrarum actionum moralium ſive* Univerſalis *lex naturalis ex* ordine Univerſi, *per* ſingulos ſingularum rerum fines *conſtituto, optime eruitur. Quid enim quæſo ſunt ideæ innatæ absque ordine Univerſi? Et quomodo* γνωστον τȣ Θεȣ *homini, enti finito, innoteſcat, niſi ex ſui ipſius et adſpectabilis mundi exiſtentia? Ideoque non adeo inſubidum mihi videtur cum acutiſſimo LOCKIO* de intellectu humano *cenſere, plane non dari ideas innatas. Hoc tamen facile largior, dari ideas innatas tanquam* facultates ratiocinandi, *ſed dari ideas innatas tanquam veritates* absque prævia ratiocinatione *mentibus noſtris impreſſas nondum percipio. Scio equidem, quod multi Theologi ideas innatas ceu notiones de Deo mentibus humanis impreſſas ſtatuant, verum ſi Eruditi prius in terminis convenirent, facile viderent, quod omnis hæc de re con-*

Digitized by Google

adhuc ſana quædam et incorrupta in nobis ratio, quam adeo infallibilem eſſe oportet ac ipſe DEUS infallibilis eſt & fallére neſcius.

Hanc igitur SANAM, INCORRUPTAM ET INFALLIBILEM RATIONEM unicum et verum in jure naturali principium, quod vocant, COGNOSCENDI eſſe reor. Ac proinde ex hoc principio omnes juris naturalis concluſiones probe ſunt dijudicandæ.

Optandum itaque quam maxime eſſet, *Auditores*, ut homines ſana ſua, qua adhuc gaudent, ratione uterentur et ſe huic rationi, non autem rationem ſibi ſubmitterent, id eſt, ut non ſecundum depravatam ſuam imaginationem & abſurda, quæ jam ab ipſis incunabulis quaſi cum lacte nutricis ſugunt, praejudicia, ſed ſecun-

*concertatio in meram* logomachiam *deſinat. Libere et candide, quæ mea ſit hac in re ſententia, paucis aperiam. Hoc certum eſſe puto, neminem opinari, nos ideas innatas ſive notiones* vocabulorum *impreſſas habere; ſi igitur quæſtio eſt:* num idea de Deo nobis ſit impreſſa? *Ita hanc rem compono, ut prius explicandum ſit, quid per* Deum *intelligamus et qualem notionem impreſſam de eo habeamus. Sic ſtatim in notionem* Entis cujusdum neceſſarii ſive a ſe exiſtentis *incidimus. Sed qualem, ſodes! Notionem et conceptum de* Ente Neceſſario *nobis formemus, ſi non prius cogitemus*, quid ſit Ens contingens? Contingens *enim et* neceſſarium *oppoſita ſe habent ratione ideoque illorum eadem eſt ſcientia Rationem autem exiſtentiæ noſtræ* ſufficientem *in nobismet ipſis non invenimus; hinc eam quærimus ſemper in alio quodam* Ente extra nos. *Et hæc idea* Cauſſalitatis, *ut ita loquar*, exiſtentiarum *mentibus humanis, quia ceu* contingentes *rationem exiſtentiæ ſuæ in ſe ipſis non deprehendunt et in ſerie contingentium, quantumlibet longiſſime continuata, tandem in Ente aliquo* abſolute neceſſario et à ſe exiſtente *ſubſiſtunt, per ratiocinandi facultatem revera* naturalis *eſt. Si vero hanc naturalem ratiocinandi facultatem mavis* ideam innatam *nominare, mihi ſane perinde eſt; in verbis enim ſum facilis et logomachias non amo.*

Digitized by Google

ſecundum rationis ideas veritates *morales*, prout ipſo jure naturali & ſic in ipſa conſcientia ſunt obligati, dijudicarent & nihil affirmarent, nihil negarent, niſi prius illud clare & diſtinĉte perciperent aliisque nihil ex *auctoritate*. nihil ex *præcipitantia* credendum obtruderent, ſed ubique certis & indubitatis rationibus amice & moderate alios convincerent: tunc enim, mehercle! nullus unquam error in toto terrarum orbe, quantus quantus eſt, deprehenderetur.

Atque ſi modo ſecundum hanc ſanam rationem ceu verum & evidens principium *cognoſcendi* ſepoſitis pravis reſpectibus libere, id eſt, absque ullis praejudiciis & ſic clare & diſtiucte etiam principium illud, quod vocant, ESSENDI ſive FIENDI in jure naturali dijudicarent homines; ſane neſcio, unde de hoc ipſo *Eſſendi* et *Fiendi* principio tot tantaeque forent Eruditorum (h) logomachiæ, ubi quilibet pro ſuo ingenio novum quoddam principium primum juris naturalis fingit, fictum eloquentiæ ornatu veſtire, aliorum vero formata juris naturalis principia prima cenſorio ſupercilio & dentato ſtilo perſtringere ſtudet.

Forſan ob hanc rationem, ne in hac verborum ſtribligine temerariae aliorum cenſurae ſe exponerent et apud vulgus famae periculum ſubirent; fuerunt, qui unicum principium ſeu univerſalem quandam propoſitio-



(h) *Nihil profecto utilius, quam vanas Eruditorum* logomachias *ubique oſtendere. Extat eo titulo elegans non minus, quam erudita Diſſertatio SAM: WERENFELSII, Theologi Baſileënſis. Ceterum de* Logomachiis Juris Conſultorum *in alma Ultrajectina orationem habuit ABRAH: WIELINGIUS. De* Logomachiis circa primum Juris Naturalis principium *autem vide Commentationem noſtram, hic junctam.*

Digitized by Google

tionem legum naturalium ſtatuere auſi non ſunt; hinc tria formarunt prima juris naturalis principia, unum ſcilicet ex quo officia erga Deum, alterum ex quo officia erga ſe ipſum, tertium denique ex quo officia erga alios deducerent. Verum iſtiusmodi principia potius ſunt ſub principia ſeu principia ſecunda ſive principiata, quæ dicunt, ex alio quodam principio *univerſaliori* eruenda. Etenim ſi tria principia: Ex. gr. *cole Deum: vivé remperanter:* (i) *vive ſocialiter*; tres quoque propoſitiones contineant; tres vero diverſæ propoſitiones totidem etiam diverſas veritates involuant; et inter diverſas veritates perfectiſſima ſemper ſit harmonia; harmonia autem nexum quendam, in quo unum cum altero conſpirare debet, requirat: neceſſario exinde ſequitur, quod detur *univerſalis* quædam propoſitio, qua tres iſtæ propoſitiones *particulares* inter ſe ſunt connexæ. Et iſtiusmodi propoſitionem *univerſalem* PRINCIPIUM PRIMUM vocamus.

Tale vero principium primum, cum veritates inter ſe non poſſint eſſe contrariæ, ſed ubique perfectiſſima illarum ſit harmonia et arctiſſimus nexus, et ſic etiam ipſa principia ceteroquin certæ alicui diſciplinæ tantummodo adaptata ſuum inter ſe nexum habeant, dari quoddam univerſaliſſimum, in quo omnes omnino ſcientiæ, ſive *intellectuales*, ſtricte ſic dictæ, ſeu mathematicæ & metaphyſicæ, ſive *morales*, late ſic dictæ, ſeu theologicæ et quæ ſunt juris naturalis, accuratiſſime conſpirant, tale PRINCIPIUM UNIVERSALISSIMUM, inquam, dari evidentiſſime conſequitur. De hoc itaque principio *univerſaliſſimo*, un-

(i) *Hæc tria juris Naturalis principia ſtatuit Celeberr. J. F. BUDDEUS in* Philoſ. Pract. *Lib.* II; *quem alii hac in re imitantur.*

Digitized by Google

unde omnes aliæ veritates derivari poſſunt, jam ſolliciti fuerunt Eruditi. Aſt quicquid etiam alii de hoc ipſo principio philoſophentur, apud me tamen perſuaſisſimum eſt, id nullum aliud eſſe, quam illud: *Exiſtit DEUS ſive Ens aliquod neceſſarium perfectisſimum.* Quo negato negatur omnis certa veritas et merus inducitur ſcepticismus.

Sed cum quævis diſciplina arctiorem inter ſe nexum habeat, ſequitur, dari quoque in quavis diſciplina principium quoddam UNIVERSALE ſeu GENERALE certæ iſti diſciplinæ ita conveniens, ut omnes illius diſciplinæ veritates *particulares* exinde derivari queant. Sic in Theologia revelata cum tota doctrina ſalutis in redemtione noſtri SALVATORIS ſingulos articulos concenturiet, ipſa ſacra ſcriptura principium illud primum: πιστευετε εις τον Ιησουν Χριστον; (k) toties inculcat. Proinde in hoc principio veritates theologicæ, ſtricte ſic dictæ, ſive revelatæ accurate conſpirant & exinde per juſtam conſequentiam concatenato nexu ipſæ certo et indubitate demonſtrari poſſunt et debent. Ideoque omnia dogmata, ubi nullus cum hoc princi-



(k) *Notum eſt, acutiſſimum LOCKIUM in* Chriſtian. raiſonab. *ſtatuentem, nonniſi unicum eſſe articulum fidei fundamentalem, ſcil.* Jeſum eſſe Meſſiam; *multas inde lites Sibi accerſiviſſe Verum ſi hicce articulus, ut par eſt, paullo latius ſive pro principio Univerſali Theologiæ revelatæ ſumitur, adeo ut omne comprehendatur, quid eo comprehendi debet, non video, cur non hicce articulus fidei pro primo fundamentali habendus eſſet Ceterum Sæpies nugantur, qui determinari ſibi volunt articulorum fundamentalium numerum. Vid. TURREITN de* artic. fundam. *confr. DAN. WYTTENBACHII rationalis ſane et egregii Theologi*, Tentam. Theolog. Dogmat. method. Scientific. pertract. *Tom.* III. *Loc.* XI. §. 1335. *Schol.* I.

Digitized by Google

pio neceſſarius nexus adeſt, ad doctrinam ſalutis ſive revelationem, in ſpecie ſic dictam, non pertinent, ſed, ſi veritatem quandam mere ſpeculativam, ut ita loquar, complectuntur, ad metaphyſicam vel matheſin, ſi vero moralitatem qnandam involuunt ad jus naturæ ſunt referenda.

Ex hiſce jam leviter ſubſtratis; A. A. O. O. H. perſpicere licet, quam neceſſarius ſcientiarum (l) omnium ſit nexus & quam arcte una veritas abſolute & ſimpliciter talis cum altera cohæreat. Et ex hiſce facile nunc, vel me tacente, intelligitis, *Auditores*, quod inde etiam neceſſe ſit, ut in ſcientia Divini illius juris naturalis *univerſalem* quandam propoſitionem ſeu *principium primum*, in quo omnes concluſiones ſeu principia ſecunda ſive omnes leges naturales neceſſarium inter ſe nexum habent, admittamus, (m) Illud autem

(l) *Et abſque hoc nexu ſcientiarum nulla datur ſolida Eruditio. Quis vero ſit nexus totius Jurisprudentiæ; de eo prolixe ſuo loco commentabor in tractatu meo, qui propediem in lucem prodibit*, de perverſo Jurisprudentiæ ſtudio ejusque cauſis, effectis ac remediis.

(m) *Tale autem principium* Unverſale *non vult admittere Illuſtr. AD: FRID: GLAFEY* im Recht der vernunfft *Lib.* 1. Cap. III. §. 20. *Nibilominus Lib.* 1. Cap. 4. § 2. et ſeqq *principium illud:* Conſerva te ipſum; *ſatis prolixe pro* generali *quodum principio ex indole Naturæ bumanæ ſtabilire adnititur ac tandem* §. 30. ibid. *concludit, quod iſti principio* Socialitas *ſit ſubordinata. En ejus verba:* inmaſſen das conſerva te ipſum viel mehr ein General principium der Socialitæt / auß welchem dieſe letztere Univerſaliter folget / abgiebt. *Ideoque omnia officia* erga ſe ipſum et ergo alios ex hac lege conſervationis ſui ipſius *luculenter oſtendit. In fine tamen dicti Capitis* §. 53. *ipſe celeberrimus AUCTOR fatetur, quod officia* erga Deum *ex bocce principio rite demonſtrari nequeant, quamvis aperte ibidem innuat officia bacce erga Deum ad Jus* natu-

Digitized by Google

autem in *Moralibus*, quæ facienda & fugienda dictitant, ita formari debet, ut iſtiusmodi principium complectatur *legem quandam univerſalem*, (n) id eſt, ejusmodi theſin, quæ normam, ſecundum quam homo actiones ſuas inſtituat, præſcribit.

Et hinc meo quidem judicio nimis inconcinnum eſt, quod nonnulli quamvis acutiſſimi juris naturalis Doctores hocce principium ſimpliciter in AMORE (o) ponant Quid enim, ſodes! eſt amor ſine objecto amoris? Si vero objectum amoris hic addant & propoſitionem

*naturæ quoque referri debere. Neſcio itaque, cur laudatiſſimus AUCTOR potius* generale *quoddam principium, ex quo omnia erga ſe ipſum et erga alios officia fluunt, admittere voluerit, quam* univerſale *quoddum primum principium, quod officia erga Deum ſimul complectitur? Non plus ſane difficultatis, ſaltem non plus incertitudinis eſt, hoc, quam illud demonſtrare. Ipſe præterea doctiſſimus AUCTOR* Cap. III. §. 43. *rotunde confitetur, ſe antea pro* univerſali, *vero et adæquato principio juris Naturæ agnoviſſe:* Vive Naturæ et finibus rerum convenienter *confr.* Ejusd. Volſtændige Geſchichte vom Recht der vernunfft. *lib.* III. § 267. *ubi teſtatur, cl. JO: HENR: ZOPFII principium hac in re cum ſuo accurate convenire. Aſt poſtea totum principium primum rejecit, ut tutius ab inanibus litibus abſtinere poſſet, ceu ipſe ſcribit* in Recht der vernunfft. *cit.* Cap. III. §. 54. *ſic ſæpies ob aliorum rixas evitandas veritatem vel diffitemur vel non ſatis libere et cordate defendimus.*

(n) *Hoc probe obſervandum eſſe puto, ut principium juris naturalis ſemper ita formetur, ut* præceptum *primum ſive* legem *univerſalem complectatur. In eo autem maximopere peccant iſti DDrs, qui tantummodo principium aliquod* vagum *ſtatuunt. Sic illa juris naturalis principia, quæ* in Natura Dei, *in* Voluntate Divina, *in* Amore, *in* Benevolentia mutua *ponuntur, non ſatis ſunt determinata, et per conſequens neutiquam evidentia.*

(o) *Hoc principium* amoris *ſtatuit Cl. JO. GOTTL. HEINNECCIUS in* Elem. Jur. Nat. et Gent. *Cap.* III. §. 78; *ac in eo mirificum legis Divinæ* revelatæ *et* naturalis *concentum probare cona-*

tionem ita formare velint, ut indolem legis habeat, tria iterum principia enaſcuntur, nimirum 1. *ama Deum*, 2. *ama te ipſum*, 3. *ama proximum.* Et ſic nondum

*natur. Provocat quippe laudatus VIR ad SERVATORIS dictum:* Diliges Dominum Deum Tuum *in toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua: et* Proximum tuum, *ſicut* Te ipſum *Matth. XX. v.* 37, 38 *et* 39. *ubi v.* 40 *additur:* ἐν ταυταις δυσιν ἐντολαις ὁλος ὁ νομος κρεμαται *Aſt quid inde? Numne igitur SERVATOR* primum *et* unicum *Juris Naturalis principium eo indigitare voluit? Id ego equidem non puto; nec connexio hiſtoriæ Evangelicæ id innuit. Unus enim ex Phariſæorum Doctoribus JESUM interrogabat v.* 36. quid ſit mandatum magnum in lege? *Ait illi JESUS v.* 37. Diliges Dominum Deum Tuum; hoc *dicit SERVATOR v.* 38., eſt primum mandatum. *Atque v,* 39. *addit* ſecundum mandatum: Diligis Proximum tuum perinde atque te ipſum. *Ideoque per ſe inde fluit, quod, cum amor* ſui ipſius *hic ſupponatur tanquam norma* amoris erga proximum, *in hoc ſecundo mandato revera* duo *præcepta latitent, nimirum* 1^mo^. ama te ipſum; 2^do^. *ſic quoque* ama proximum tuum. Primum *itaque mandatum erat:* Dilige Deum; *et in* ſecundo *mandato, quod JESUS Phariſæis proponebat,* duo *ſunt præcepta; Ergo aperte* tria *hic principia legis commonſtrantur et per conſequens SERVATOR noluit,* unicum *ſeu* primum univerſale *juris Naturalis principium inde oſtendere. De PAULLINIS autem dictis non eſt, quod addam; nam quamvis Apoſtolus* amorem *vocat* ἀνακεφαλαιουται και πληρωμα τȣ νομȣ; συνδεσμον της τελειοτητος; και το τελος της παραγγελιας *Rom.* XIII. *v.* 8. *en* 10. *Col.* III. *v.* 14. 1. *Tim.* I. *v.* 5. *Ideo tamen non ſequitur,* amorem *eſſe primum* principium *legis Naturæ; Semper enim quæſtio remanet.* Quid et quomodo diligam? *Jam vero HEINNECCIUS in* cit. Elem. Jur. Nat. et Gent. *lib.* III. §. 90. *ipſemet agnoſcit;* Tria eſſe Entia ſive objecta, *quibus* amoris officia *præſtare debemus; ſcil.* 1. Deum 2. Nosmetipſos *et* 3^tio^. alios homines, *inde ſponte quoque enascuntur* tria legis principia *ac per conſequens hocce principium* amoris *non eſt* unicum et primum univerſale; niſi velis ſtatuere, amorem Dei etiam amorem ſui ipſius et proximi involvere. *Nec eſt* evidens, *tanto minus, cum* amor *ſupponat adhuc* normam *ſecundum quam amoris officia dirigere debemus; hanc autem normam ſummus legislator nobis conſtituit* in ordine univerſi rerumque finibus.

Digitized by Google

dum ſalua res eſſet, ſed altius inquirendum, in quo tunc tria iſta principia ſecunda, quæ vocant, inter ſeſe neceſſario cohæreant.

Sed forſan ex ipſa ſocialitate humana ejusmodi neceſſarius nexus trium dictorum *amoris* principiorum demonſtrari poteſt, ita ut illud: *vive* (p) *ſocialiter*; pro primo juris naturalis principio haberi debeat? Verum nec hoc putarem, *Auditores*; quippe in omni principio primo debet latere ratio officii inde deducendi, ideoque ſi ſocialitas foret primum legum naturalium principium, neceſſario ſequeretur, quod Deus colendus ſit non propter relationem & correlationem, quæ inter creatorem & creaturam intercedit, ſed ut cum aliis ſocialiter viveremus. Et tunc officia erga Deum conſideranda eſſent, non qua officia erga Deum, ſed qua officia erga alios. Ecquis vero illud admitteret, quod tam aperte Machiavelliſmum ſapit? ut taceam, quod poſita ſocialitate ceu primo juris naturalis principio, nullum tunc vel plane aliud ADAMUS ante



(p) *Excuſandus tamen eſt PUFENDORFIUS, qui jus Naturæ ſtrictius ſumit et officia erga Deum ad Theologiam Naturalem refert; ideoque huic illuſtri juris naturalis Reſtauratori male imputatur, quaſi Ipſe officia erga Deum ex ſocialitatis principio deducere voluiſſet, cum potius declaret, ſe nihil aliud ſibi propoſuiſſe, quam mutua hominum officia explicare, quibus demonſtrandis principium* Socialitatis *ſatis accommodatum fore putavit. Vid. J: J: BURLAMAQUI* Principes du Droit Naturel Cap. IV. §. 20 *ubi PUFENDORFIUM hac in re defendit. Confr. Ill. GLAFEY* Volſtændige Geſchichte vom Recht der Vernunfft. lib. III. §. 141. *qui præter alios BARBEYRACUM, MASSOVIUM et WEBERUM ceu defenſores PUFENDORFII contra epiſtolam cenſoriam LEIBNITII allegat. Sed ea eſt invidia et æmulatio Eruditorum, ut quasvis diſſentientium opiniones plerumque in malam partem interpretentur.*

te creatam EVAM juris naturæ principium habere debuiſſet: id autem aſſerere, eſſer immutabilitatem Divini hujus juris deſtruere. Hinc ego equidem exiſtimarem, me recte concludere, principium hocce *ſocialitatis* non eſſe ***primum univerſale*** ſeu, ut loqui amant, *adæquatum.*

Poſſem, *Auditores*, hic latius excurrere & quoque principium illud, quod ex *ſtatu integritatis* (q) deſumtum eſt, explodere: poſſem præterea illorum ſententiam, qui principium juris naturalis primum in *convenientia cum ſanctitate* (r) *Divina* ponunt, ad incu-

(q) *Sic* VAL: ALBERTI *Theologus quondam Lipſienſis*, *totum jus naturæ* ex ſtatu integritatis *demonſtrare adniſus fuit; Ideoque jus naturæ* orthodoxum *anno* 1678. *conſcripſit*, *quo ſcilicet*, *ſi ſuperis placuiſſet*, Pufendorfianum *jus Naturæ et Gentium delumbaret et apud vulgus in odium traheret*, *ſed merito inde caſtigatus fuit in* *PUFENDORFII* Commentatione ſuper invenuſto Veneris Lipſiæ pullo. *Et quis adeo veſanus eſſet*, ut officia Imperantium et Civium, Dominorum et ſervorum, *jura et officia* circa dominia rerum, colliſiones officiorum, *ubi ſæpies* pro evitando majori malo, minimum eſt eligendum, moderarem inculpatæ tutelæ, jura Belli *et quæ ſunt plura alia*, *quis*, *inquam*, *talia* ex ſtatu integritatis *deducere vellet? Interim notandum eſt*, *quod citatus* ALBERTI *olim in accademiis fuit* PUFENDORFIO *contubernalis; hinc procul dubio ex invidia et æmulatione jam in juventute odium cepit contra PUFENDORFIUM. Unde poſtea illæ lacbrymæ!*

(r) *Hæc fuit ſententia* THOMÆ de AQUINO *aliorumque* SCHOLASTICORUM, *nec non*, *ni fallor*, SAM: STRIMESII. *Nuper quoque AUCTOR anonymus* Dubiorum juris Naturæ ad generoſiſſimum Dominum * * * * *anno* 1719. *editorum* (*quorum Auctorem nonnulli* Dn. JOHANNEM FRIDERICUM HOMBERGH, *Profeſſorem Marpurgenſem*, *venditant*) *hanc ſententiam recoxit*, *dum* Cap. I. §. 4. *ita ſcribit:* verum cum jus Univerſum, quo homines reguntur, ex ipſa NATURA Dei EJUSQUE SANCTITATE fluere conſtet, id quod non ſolum Chriſtiani

Digitized by Google

eudem referre: poſſem ulterius jejunam opinionem, qua *conſenſum moratiorum* (ſ) *Gentium* pro primo Divini hujus juris principio venditant, rigidius taxa-

C 2 re:

ſtiani omnes, affirmarunt, ſed nec Gentiles diffitentur *&c. Ceterum memini, nonnullos Theologos etiam hocce, quod in* NATURA DEI *conſtituitur juris Naturalis principium hodiedum adhuc defendere; Aſt ſi vel maxime largiar*, Naturam Dei ejusque Sanctitatem *nobis* juris loco *eſſe*, *ita ut* perfectiones Dei ſint norma ſive potius motiva noſtrarum actionum liberarum ſive moralium; *quod itidem pro fœcundiſſimo principio in explicandis hominum erga Deum officiis agnoſcit Illuſtr. L: B: de WOLFF* in Theol. Nat. part. I. Cap. V. §. 919; *non tamen mihi videtur hoc principium ita eſſe comparatum, ut omnia officia vel* Hominum *vel* Civium *inde elici probariq poſſint; multa enim dantur officia, quorum ἀρχέτυπον in Deo non reperimus Ex. gr.* gratus animus erga benefactores, reverentia erga ſuperiores, redditio crediti *ſimiliaque. Prætcrea nec* evidens *eſſe hoc, quod in* Natura Dei Ejusque ſanctitate *ponitur, principium, jam oſtenderunt PUFENDORFIUS in* ſpecim. controv. IV. 4. *et THOMASIUS in* Fundam. jur Nat. et Gent. L. 6. II. *ſeqq. confer omnino GLAFEY* Vollſtændige Geſchichte vom Recht der Vernunfft. *Lib.* II. §. 13, 14 *et* 15. *Hoc equidem certum eſt, Deum ceu* legislatorem *ita leges naturales nobis promulgaſſe, ut ſint* Divinæ Naturæ, Sanctitati, bonitati *ac* ſapientiæ *conformes. Verum hoc quoque in legibus humanis ſupponendum eſt, ut ſint Naturæ* Principis *ceu* legislatoris *et* ſaluti ſubditorum *pro rerum circumſtantiis accommodatæ; quis autem inde concluderet; Ergo Naturam Principis ceu legislatoris eſſe principium primum adæquatum et evidens legum Civilium? Sane hocce principium multo adhuc remotius eſt, quam illud, quod in* Voluntate Divina *ponitur, de quo infra dicam plura.*

(ſ) *Ex* tali Conſenſu Gentium *licet* moratiorum jus *inferri nequit; nam ſi illud unquam conſtitutum eſſet, aut per modum* legis *aut* pacti *introductum eſſe neceſſe foret: prius aperte falſum eſt, dum lex ſupponat ſuperiorem; Gentes vero inter ſe ſint æquales. Circa poſterius autem requiritur liquida probatio, quo nimirum tempore et quo terrarum loco Gentes tale pactum inter ſe celebraverint. Nec eſt, cur videntes quidem hunc nodum, aliam ſibi videantur elabendi rimam inveniſſe, quaſi ſcilicet hoc* jus Gentium *intro-*

Digitized by Google

re: poſſem denique plura adhuc alia à DDbus excogitata prima juris naturalis principia examinare, ſed illorum

*troductum eſſet vel per* conſuetudinem *vel per aliquod* tacitum pactum: *utrumque enim meram involvit abſurditatem. Vid.* Diſſert. noſtr. de morte hominis naturali. §. 32. *ut taceam, quod ne quidem absque maxima læſione aliarum, quas* Barbaras *vocamus, Gentium decidi poſſit*, quæ ſint moratiores Gentes? *Præprimis cum ſorſan quæ olim* Barbaræ *fuére Nationes, hodie inter* moratiores *referri debeant et vice verſa; ac præterea etiam* Barbaræ *Gentes aliquando ob* ignorantiam vitiorum et luxus *virtute* moratioribus *longe antecellant. Nequid amplius dicam de* ficto *Gentium conſenſu, cum experientia ſatis publice doceat, non eadem omnibus honeſta eſſe atque turpia; ſingularum* enim Conſuetudines *inter ſe variant. Digniſſima eſt eam in rem ÆMILII PROBI præfatio vitis Excellentium Imperatorum præmiſſa, quæ huc apponatur in verbis:* Neque enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam habere in matrimonio, quippe cum ejus cives eodem uterentur inſtituto: at id quidem noſtris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducitur adoleſcentulis, quamplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni tam eſt nobilis vidua, quæ non ad ſcenam eat mercede conducta. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota ponuntur. Contra ea pleraque noſtris moribus ſunt decora, quæ apud illos turpia putantur. *Sic quoque* ALBERICUS GENTILIS *in tr.* de jure Belli *ex conſenſu moratiorum Gentium* Denuntiationem Belli *ad ejus juſtificationem neceſſario requirit; quis vero rerum publicarum adeo ignarus eſt, ut neſciat, hodie Gentes aliquando aliter et quidem rectius hac de re ſentire? Confr. Ill. AD: FRID: GLAFEY* Volſtændige Geſchichte vom Recht der Vernunfft lib. III. §. §. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13 et 14. *Miror proinde, magnum* HUGONEM GROTIUM de Jure Bell. et Pac. lib. I. Cap I. §. 12. *etiam hocce juris naturalis principium, quod* in Conſenſu moratiorum Gentium *ponitur, ſtatuiſſe. Sed et bonus aliqaundo dormitat Homerus! Quid enim abſurdius quam Jus* Divinum ex Conſuetudine humana, *quæ plerumque ſola imaginatione quadam regitur, determinare et ſic voluntatem ſummi Legiſlatoris mutabili hominum ceu ſubditorum arbitrio ſubmittere? Cum tamen ſubditorum non ſit, authenticam legum da-*

*re*

Digitized by Google

rum pleraque non ſunt adæquara & omnia, qualia (t) qualia etiam ea formentur, ſi tantummodo vera ſunt, omnia, inquam, conveniunt & accuratiſſime conſpirant in ORDINE TOTIUS UNIVERSI.

De hoc itaque ORDINE, quod Deus *ordinis* felix fauſtumque eſſe jubeat, in illuſtri hocce auditorio coram tot VIRIS et eruditionis laude florentiſſimis & longo rerum uſu ſubacta prudentiâ clariſſimis ego adhuc juvenis nec ſermonis & facundiæ dotibus ornatus

 nec

*re interpretationem; hæc enim veram legem conſtituit. Si vero conſuetudo iſta* Ratione *nititur, tunc a* priori, *ut cum laudatiſſimo GROTIO loquar, ſive ex ipſo Jure Naturæ omnem vim ſuam naneiſcitur. Ideoque* principii petitio, *ut ajunt, ſemper remanet:* num ſcilicet conſuetudo ſive conſenſus Gentium legi Divinæ Naturali ſit conformis, nec ne? *Nam* huic legi (*recte inquit CICERO* de Republica *lib.* 3. *ceu LACTANTIUS.* Inſtit. Divin. *lib* 6. *cap.* 8. *refert*) nec abrogari fas eſt, neque derogari ex hac lege aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum aut per Populum ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quærendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia poſthac.

(t) *Miram illam primi illius Legum Naturalium principii diverſitatem ſi examinamus, ſtatim videbimus, eam exinde maximopere reſultare, quod alii aliter Jus Naturæ ſumant et in terminis inter ſe diſſentiant DDres; Nonnulli enim ſub jure Naturæ tantummodo* officia erga alios *comprehendunt et officia* erga ſe ipſum *ad* Ethicen ſive doctrinam moralem; *Officia autem* erga Deum *ad* Theologiam Naturalem *referunt. Atque his principia illa GROTII et PUFENDORFII* Socialitatis, *GUNDLINGII et GERHARDI pacis externæ, BOEHMERI* tranquillitatis externæ, *aliorumque abunde ſufficiunt. Alii officia* erga ſe ipſum *ſimul complectuntur, et officia erga Deum ſolummodo excludunt: quibus itaque principia* CUMBERLANDI benevolentiæ mutuæ, *THOMASII* felicitatis temporalis, MULLERI mutui amoris *aliorumque placent. Alii denique et* officia erga Deum, *prout par eſt, jure Naturali adſcribunt et ſic totum Jus Naturæ in ſuo complexu ſumunt atque his principia PRITII et VELTHUSII* intentionis et finis hominis

et

Digitized by Google

nec ſolidioris doctrinæ apparatu ſatis inſtructus nec forſan circumſpecta ubique providentia acutus publice indiſerta lingua diſſerturus, merito equidem vereor, ne nimiæ mihi quis fortean temeritatis notam inurat, qui de ſublimi hacce materia verba facere audeam; dicendum quippe de famoſiſſimo illo argumento, cujus dignitas jam magnorum virorum (v) ingenia exercuit. At tamen fata, neſcio adverſane an proſpera, hunc mihi diem dixerunt & me nunc amplius tacere non

et creaturarum, *COCCEJI* voluntatis divinæ RACHFLII et ZOPFII Naturæ et finis rerum et hominis, *WOLFII* perfectionis *aliorumque magis adrident.*

(v) *Sic BERNH: HENR: REINOLDUS in diſſert.* de vero juris Naturæ principio ordinem omnium rerum creatarum *ceu primum juris naturalis fundamentum commonſtrat, quam elegantem diſſertationem* operi poſthumo Apologetici Wielingiani *pag.* 129. *et ſeqq. integram intexuit vir praclare Eruditus, quem honoris et amicitiæ cauſſa nomino, Dn.* CORNELIUS VALERIUS *VONCCIUS. Ipſe quoque WIELINGIUS in* Apologetico ſuo ſive Themide orthodoxa *Cap.* III. *pag. m.* 113. *et ſeqq ſciagraphiam quandam juris Naturæ* ex ordine et fine rerum Creatarum *delineavit; aſt tamen et inde cenſuram ſubire debuit clar. Anteceſſor. vide* Animadverſ. Facultatis Theologicæ Acad. Trajectinæ ad cl. *WIELINGII* ſummam Themidis orthodoxæ *pag. m.* 24. *et* 25. *Præterea* ordinem illum naturæ *poſt* SFORT: PALLAVICINUM *verum ac genuinum juris Naturalis principium eſſe docuit* HENR: BODINUS *in Diſſert.* de jure mundi, *referente id cl. HEINNECCIO* in Elem. Jur. Nat. et Gent. *lib.* I. *Cap.* III. §. 76; *ſed cum iſtam diſſertationem nunquam legerim, neſcio, num et in quantum citatus Auctor mecum conveniat Nuper vero ICtus quidam Hannoveranus Dn. JO: HELFFR: KREBS qui ob cauſam* Ammonianam *litteras mecum communicavit, quaſdam meditationes de principio Juris Naturæ Actis litterariis Goettingenſibus inſeruit atque* ordinem fineſque rerum *eleganter ibidem delineavit, quæ meum principium apprime confirmant; hinc non poſſum, quin eas prout laudatus VIR mittendas mihi curavit, in calce hujus Diſſertationis integras Tibi*, Lector benevole, *exhibeam.*

Digitized by Google

non patiuntur, ſed altum cum jam ingreſſus ſim, quo me cunque etiam tempeſtas trahat, vela facienda ſunt.

Id vero etiam atque etiam obteſtor, me nullo partium ſtudio agitatum, ſed ſolo veritatis amore & argumenti, quod tractandum ſumpſi, præſtantia ductum ad tantam adniti materiæ ſublimitatem. Utinam! quam thema, quod propoſui, profundis piæ mentis meditationibus dignum eſt, tam quoque ingenii mei viribus æquum foret. Sed mecum jam habitare cœpi probe gnarus, quam ſit mihi curta ſupellex. Et niſi in veſtra præſertim *liberalis jurisprudentiæ & maſculæ eruditionis Promotoros ampliſſimi, munificentiſſimi, prudentiſſimi*, benigniſſima, qua honeſtos conatus ſublevatis, voluntatis inclinatione & defecati animi generoſitate; in veſtra quoque, *Divinarum atque Humanarum ſcientiarum Profeſſores graviſſimi, eruditiſſimi, celeberrimi*; in veſtra denique, *oraculorum Divinorum interpretes & oratores ſolidiſſimi, exercitatiſſimi, myſteriorum ſacrorum diſpenſatores fideliſſimi ceterique, quotquot hic adeſtis cujuscunque loci, ordinis & dignitatis Auditores ſpectatiſſimi, acutiſſimi, æſtumatiſſimi*, niſi in veſtra, inquam humanitate meum præſidium eſſet poſitum. forſan adhucdum clypeum cum haſta, quod dicitur, abjicerem, in Harpocratis caſtra tranſiturus. Sed jam jam hocce præſidio ſub veſtro umbone tutus & bonæ, ad quam defendendam me accinxi, cauſſæ fiducia fretus milites levioris armaturæ, qui nocturnorum graſſatorum inſtar ad omnem lacerandæ aliorum famæ occaſionem emiſſitiis veluti oculis excubant & in eos, quos ſibi adverſari putant, obliquis artibus debacchantur, hos, inquam, ſciolos procul abeſſe jubeo.

Vos

Digitized by Google

Vos vero, VIRI boni! adeſte æquo animo & ab omnibus præjudicatis opinionibus liberi rem cognoſcite. Dicam itaque, *Auditores*, dicam, ſicut res eſt, quod cum ORINEM TOTIUS UNIVERSI CEU PRIMUM JURIS NATURALIS PRINCIPIUM agnoſcamus, nimis abſurdum & à jure naturali ceu ſcientia veritatum moralium prorſus alienum eſſet, ſi quis per hunc *ordinem* tantummodo mechaniſmum univerſalem ſive cosmicum, (x) quem vocant, rerum phyſicarum ſive mere materialium excluſis moralibus intelligere vellet. Quid enim eſt aut eſſe poteſt in tota Natura & univerſa hujus mundi machina corporea egregium, propter cujus admirationem à nobis ſit colenda? Quæ pietas quæve alia officia ipſi debeantur, quod tanquam res mere materialis nec noſtras cogitationes percipere nec ſtudia noſtra curare poteſt? Num inter noſtras cogitationes &, quæ inde profluunt, actiones morales ac inter materiam inertem poteſt eſſe offi-

(x) *Hanc* fatalem neceſſitatem *in jure Naturæ famoſiſſimus ille Spinoſus SPImOSA defendit*, *dum in* Tract Theolog. polit. *Cap.* 16. *ita ſcbribit:* Per jus Naturæ nihil aliud intelligo, quam regulas Naturæ cujusque individui, ſecundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo exiſtendum et operandum. Ergo jus Naturæ cujusque rei eouſque ſe extendit, *quousque* ejuspotentia ſe extendit: Et jus adeo naturale cujusque hominis non ſana ratione ſed cupiditate et potentia determinatur. Hinc jus Naturale nihil, niſi quod nemo cupit, et quod nemo poteſt, prohibet. *Ejusmodi vero principium defendere, nihil aliud eſt, quam omnem moralitatem omnemque Religionem ac omnem denique tranquillitatem in Republica penitus evertere; cum in effectu inde pro norma actionum noſtrarum ſtatuatur:* Quicqnid lubet, licet, et omne jus in viribus poſitum eſt. *Ex quo non poteſt non funeſtum totique generi humano exitiale* bellum omnium contra omnes *exiſtere*.

Digitized by Google

officiorum quædam relatio & correlatio? Quæ cogitationum communitas? Quæ igitur actionum moralium ſocialitas? Apage craſſos illos & indignos rationali homine errores! Quis enim, niſi lolio victitaſſet, non videt, quod cum in jure naturali principium primum, unde omnes concluſiones ſeu veritates morales derivari debent, ponamus, quis, inquam, non videt, ejusmodi principium ex natura et indole hujus diſciplinæ per ſe quoque morale eſſe debere. Jus ſtatuere absque moralitate, qnid, ſodes! aliud eſt, quam ſibi aperte contradicere? Aſt quæ moralitas afficit aut unquam afficere poteſt res mere materiales? Quomodo igitur *ordini totius univerſi* convenienter vivamus, niſi prius iſtiusmodi convenientiam noſtrarum actionum moralium cum ordine iſto phyſico percipiamus. Sed quæ, quæſo! convenientia vel unquam fingi poteſt inter jus belli & pacis & ordinem hujus mundi ſive mechanismum coſmicum? Et quomodo hicce ordo phyſicus nobis obligationem quandam imponeret? Dicas per *ſanam noſtram rationem.*

Ecce! igitur jam admittas neceſſe habes ad eruendam obligationem requiri ſubjectum aliquod obligationis capax ſive ens intellectu & voluntate præditum. Cum vero obligatio ſit qualitas moralis *paſſiva*, hinc poſita obligatione ponitur quoque qualitas moralis *activa* ceu jus alteri ex tali obligatione competens; hæ enim duæ facultates ut relata & correlata (y) ſe habent,

D quæ

(y) *Hanc ſententiam quod jus et obligatio ceu relata et correlata inter ſe habeant, non vult admittere Cl.* GLAFEY im Recht der vernunfft *lib.* 1. *Cap.* V. §. 3. *ubi pro adſtruenda ſua ſententia profert exem-*

quæ ſe mutuo ponunt & tollunt. Ad ejusmodi autem qualitatem moralem activam requiritur ſubjectum qualitatum moralium capax ſive ens aliquod rationale; tale vero ſubjectum non poteſt eſſe hujus mundi ſtructura, utpote omni ratione carens & ſolummodo per mechanismum phyſicum ſe voluens. Et ſic demto ſubjecto qualitatis moralis activæ, demitur quoque ſubjectum qualitatis moralis paſſivæ, cum nulla tunc amplius relatio homini rationali cum materia omnis rationis experte intercedere queat. Ideoque ceſſaret omnis obligatio: ceſſante autem obligatione ceſſaret quoque jus alteri ex tali obligatione competens atque ita omnis ceſſaret *lex naturalis.* Ex quibus itaque, ***Auditores***, ſatis evidenter, opinor, percipietis, ipſam quamvis artificioſiſſimam hujus mundi machinam mere corpoream *per ſe & ſua natura* non poſſe nobis imponere obligationem ſeu præſcribere leges naturales.

Aſt neſcio, quis hic mihi anrem vellicet dicatque: falleris igitur *Marcki* & proprio te jugulas gladio, quod tu

*exemplum ADAMI, cui Jus vel dominium in beſtias omnesque res creatas a Deo conceſſum erat, Geneſ.* I. *v.* 26 *et* 28. *cum tamen, ceu opinatur lavdatus GLAFEY, adhuc nemo exiſteret, qui ad ejusmodi Jus ipſi obligatus erat, Deo quippe et beſtiis talis obligatio adſcribi nequit. Verum meo quidem judicio non ſatis acute philoſophatur vir ceteroquin eruditus; ſi enim ADAMUM ante creatam EVAM ſpectamus, nec dominium nec jus aliud, proprie ſic dictum, in beſtias ipſi concedi poteſt, cum dominium talem facultatem domino competentem denotet vi cujus res illius ita eſt propria, ut non pertineat ad alios, â dominio et proprietate illius excluſos. Uſum rerum creatarum ſolummodo habebat ADAMUS, ita ut ſimul obligatus eſſet nonniſi ſecundum* fines cujusvis rei *ac proinde ſecundum* Ordinem, univerſi ad gloriam Creatoris *iis uti fruique. Et quamvis EVA poſtmodum creata* dicti uſus *particeps facta*

tu nihilominus ex *Ordine totius univerſi* jus naturæ deducere velis; Tune itaque omnem moralitatem illudis? Apage! dicetis, mangonium iſtud cum Tua Garamantas verſus & Indos ableganda ſententia. Abi jam carcere & brevibus Gyaris digne! Huc, huc ergo intenſiſſimi in hæreticos mirmillones! Huc, huc orthodoxiæ tenebriones! Agite, proſcribite, protrudite, clamate nunc: *ad ignem*, *ad ignem!* Sed motos componite fluctus & nolite ita male de me auſpicari, *Auditores humaniſſimi!* Potius iterum atque iterum intelligatis velim, ad *ordinem totius univerſi* neceſſario quoque pertinere Entia, ut ita loquar, *moralia.* Etenim ipſiſſima verba ORDINIS TOTIUS UNIVERSI illud evidenter indigitant, aperte commonſtrant, nitide inculcant. Nam *ordinem totius univerſi* ſi vel obiter tantummodo contemplamur, jam jam ipſi ſentimus et indubitate omnino perſuademur, NOS quoque in hoc UNIVERSO exiſtere. Ecquis igitur tam effrons, immo tam egregie ſtultus eſſet, qui ſe ipſum ad *ordinem*

D 2 *hujus*

*facta fuerit, ne ſic tamen* dominium *eo tempore protinus natales accepit, et proinde nec ADAMUS EVAM nec hæc illum* ab uſu rerum *excludere valebat, neutro quoque in ſtatu integritatis illud deſiderante. Hoc equidem lubens concedo, poſt creatam EVAM, ADAMO et ipſi quopue EVÆ jus*, proprie *ſic dictum, competiiſſe; male tamen illud jus* dominii *appellatur, quippe præter protoplaſtos nulli alii, à tali jure excluſi exiſtebant. Ideoque jus habuerunt protoplaſti, non reſpectu aliorum, tum nondum exiſtentium, ſed reſpectu habito ad ſe invicem, ſic ut vi illius juris utrique competentis neutri permiſſum fuerit, alterum in* uſu rerum communium *turbare, cujusmodi jus vocatur* Communio. *Et hinc* jus ət obligatio *ex hac rerum facie ubique concurrunt. Confr. Celeberr. CASP: TH: SUMMERMANNI πρωτα Pandect. ad tit.* de Divis *Rer.* §. 56.

*hujus universi* pertinere negare auſit? Et quis ſibi conſcius non animaduertit in ſe mirabilem quandam intelligendi volendique vim ac facultatem, qua à reliquis animantibus ut ἀλογοις ipſe λογικος *fine* ſatis longo discretus? Nonne igitur hæ cogitandi facultates ſeu res moralitatis capaces ad *ordinem totius univerſi* referri debent? Næ! iſte, qui illud negat, admittat neceſſe habet, ſe in hoc mundo inutilem eſſe ſpectatorem; id eſt, ſe nullam habere rationem. Is itaque

*Naviget Anticyras helleborumque bibat.*

Sed quicquid alii etiam cum ratione ſua inſaniant, apud me tamen perſuaſiſſimum eſt, ad *ordinem totius univerſi* hominem quoque & per conſequens etiam ipſam animam humanam, quæ cum corpore organico conjuncta eſt, *rationalem* pertinere.

Hoc ſi ita eſt, *Auditores*, animum advertite, ut cognoſcamus mentis noſtrae *cauſſam*, *finem* & *quo ordine* intellectus cum voluntate, hæ vero duæ facultates tam arcte et artificioſe cum corpore ſint conjunctæ. Et quis tunc veſtrum eſt, qui non in ipſo mentis ſuæ penetrali contemplari queat, MEMTEM eſſe certe perfectiſſimam, quod menti noſtræ origiuem dedit; adeo ut ad probandum DEUM non alio indigeat, quam ſe ipſo teſte.

Si præterea per totius mundi fabricam mentem hanc oculoſque noſtros circumagamus, fieri non poteſt, quin ex *rerum cauſſarumque ordine* perſuadeamur eſſe liberam quandam et *moralem cauſſarum cauſſam*, Ens aliquod neceſſarium (z) per ſe exiſtens quod DEUM voca-

(z) *Sane optimum et firmiſſimum boc eſt argumentum, ſi â* contingentia mundi integri *ſive* totius univerſi *coucludamus ad* exiſtentiam

vocamus, qui dat omnibus ζωην καὶ πνοην καὶ παντα; quique *toti huic univerſo*, cujus quædam pars ſumus, initium dedit ſingulisque rebus ſuos præſcripſit *fines*: διοτι, inquit Apoſtolus PAULUS, το γνωστον τȢ ΘεȢ φανερον ἐστιν ἐν αὐτοις; τα γαρ ἀορατα αὐτȢ ἀπο κτισεως κοσμȢ, τοις ποιημασι νοουμενα, καθοραται, ἡτε ἀΐδιος αὐτȢ δυναμις καὶ Θειοτης.

Non igitur ſolum mens noſtra, ſed &, quæ omnes omnino mentes agitat, MENS SUPREMA ad hunc *ordinem totius univerſi* σχεσιν habet. Qualis enim, attendite pauliſper, ô *deſideratiſſimi Auditores!* qualis, inquam, eſſet *ordo*, effectum ſtatuere absque cauſſa ſive creaturas absque creatore? Creatorem absque providentia? Providentiam absque præſtitutis quarumcunque rerum finibus? Fines præſtitutos absque ſufficientibus ad eos aſſequendos mediis ſive facultatibus ac viribus? Hiſce vero facultatibus conceſſis & hominibus poſitis ſana ratione præditis, quis negaret, omnium rerum, ſive *moralium*, ſive *naturalium* (aa) in legiti-



tiam Dei neceſſariam; *Ens enim contingens exiſtere nequit, niſi detur ens neceſſario exiſtens. Et cum nihil ſit* in toto hoc univerſo, *quod contingenter exiſtere non intelligatur; nihil profecto datur, quod exiſtentiam Dei neceſſariam non loquatur. Hinc non mirum, quod Illuſtr. CHRIST: L: B: de WOLFF. Philoſophorum facile princeps, pro eo, quo pollet, acumine à contingentia mundi integri exiſtentiam Dei probavit, rejectis argumentis aliis, quæ ultra aliquem probabilitatis gradum non aſcendunt.*

(aa) *Actiones enim* morales *ſive liberæ cum* naturalibus *per easdem rationes* finales *determinari debent, quoniam Deus vult, ut actiones liberas dirigamus ad noſtri aliorumque perfectionem, quæ perfectio conſiſtit in ordine ſive conſenſu plurium à ſe invicem differentium in uno ſive in tendentia ad idem aliquod obtinendum: Si igitur actiones morales per aliam rationem determinarentur, quam* natu-

ma cum *finibus* ſuis conformatione rectum uſum eſſe ſitum, ac denique ex cognitione *uſus*, *modi* ac *finis* non reſultare in nobis *obligationem*, ut *huic ordini* a potentiſſimo ſapientiſſimoque *totius univerſi* Creatore ac Conſervatore ſingulis rebus tam *moralibus*, quam *naturalibus* ſcite adaptato *convenienter vivamus* & ſic ipſi DEO, tanquam LEGISLATORI & DOMINO, qui ex ejusmodi ORDINE RERUMQUE FINIBUS ſanctiſſimam nobis ſuam manifeſtavit voluntatem atque ita hominibus jus quoddam *naturale* per ipſam *univerſi naturam* promulgavit, reverenter pareamus? Sane qui illud negat, ſecundum ipſum Apoſtoli PAULLI effatum ἀναπολογητος erit.

Aut fallor admodum, *Auditores*, aut nunc quid per *ordinem totius univerſi* in *moralibus* intelligam et intelligi debeat, facile percipietis. Quid vero in *phyſicis* (bb) per ordinem univerſi intelligatur, me jam non

*naturales; iſtæ cum hisce minime conſentirent ideoque ad perfectionem hominis nentiquam tendere poſſent. Neceſſe proinde eſt, ut per easdem rationes finales homo determinet actiones liberas ſive morales, per quas determinantur naturales. Determinatio enim actionum naturalium* ab eſſentiis rerum *pendens à Deo eſt, ſibimet adeo foret contrarius, ſi vellet actiones hominis morales per alias ſive diverſas rationes ab iis determinari, per quas determinantur naturales.* Ordo *itaque in hoc univerſo ſemper obſervandus eſt, ideoque in rebus agendis actiones* morales *per easdem* rationes finales *cum* naturalibus *dirigere debemus. Quæ identitas determinationis actionum naturalium et moralium maximi momenti eſt in demonſtrando jure naturali, ceu recte monuit vir plane incomparabilis, Illuſtr. L. B. de WOLFF* in Theolog. Nat. *part.* 1. *Cap.* V. §. 914. *ibique in Schol.*

(bb) *In* phyſicis *per ordinem univerſi tantummodo intelligitur compages rerum omnium* corporearum, *quâ omnia in certos fines et uſus*,

non attinet, in *moralibus* enim et, unde hæc demonſtrari debeant, *metaphyſicis* longe alia eſt rerum facies. Cum igitur verba ex genuinis hermeneuticæ regulis intelligenda ſint ſecundum ſubſtratam materiam, ego potius in *moralibus* per *totum univerſum ejusque ordinem* intelligo non modo quicquid videmus et ſentimus, ſed et *omne, cujus exiſtentiam ex nexu rérum demonſtraré poſſimus.*

Sic mihi videor, *Auditores*, vela orationis magis magisque pandere errorumque ſcopulos ac ſupinæ ignorantiæ vada feliciter præternavigare. Agite! jam pharo nobis opus eſt, quo recta via ad optatum pertingamus portam, ſive ut clarius loquar, certum principi-

*ajus, numero, menſura, pondere ordinata admirabilique ſerie digeſta ſunt, ita ut tantum congeriem cæli et ſtellarum in ſpatio mundano circa terram in orbem diſpoſitarum complectatur. Aſt in* metaphyſicis *mundus ſive totum univerſum eſt tantum* ens unum, *ita ut nexum rerum omnium contingentium coexiſtentium et ſucceſſivarum atque ſic quoque animalia et homines mentesque proinde rationales comprehendat. In ſenſu autem* morali *datur nexus inter contingens et neceſſarium, inter ordinatum et ordinans, inter mentem rationalem finitam et infinitam, inter præſens, præteritum et futurum &c, Ideoque per ordinem univerſi in* moralibus *omnia illa intelligi debemus, qua per* rerum dependentiam *et* ſucceſſionem *ſtatum noſtrum concernunt vel unquam concernere poſſunt. Hinc in hoc ſenſu* morali *etiam ipſe DEUS ad* ordinem *totius univerſi referri poteſt et debet. Quod itidem probe obſervavit CUMBERLANDUS, ſtrenuus HOBBESII Antagoniſta, dans* Traité Philoſophique des Loix Naturelles *verſion. Barbeyrac. Edit. MDCCXLIV. ibique cap.* V. *ubi* §. 1. *Legem Naturalem deſcribit*, quod ſit propoſitio à *NATURA RERUM*, ex *VOLUNTATE PRIMÆ CAUSÆ*, menti ſatis aperte oblata; *unde pag. m.* 210. *ita ratiocinatur:* J'ajoûte: la Nature *DES CHOSES;* par où j'entends non ſeulement ce bas Monde *DONT NOUS FAISONS PARTIE*, mais encore *DIEU*, qui en eſt le Créateur et le Conducteur, ou le Maître Souverain.

Digitized by Google

cipium primum ſtatuendum eſt, ex quo omnia præcepta juris naturalis rite demonſtrari poſſunt & debent. Tale vero principium ex ſupra deductis jam ſponte ſua fluit & ita formandum eſt: *vive ordini* (cc) *totius univerſi convenienter, prout fines rerum moralium & naturalium* (dd) *illud exigunt & ſana ratio id dicitat.*

Principium hoc eſſe *verum*, nemo facile inficias ibit, niſi qui totum jus naturæ evertere atque ſic omnem mora-

(cc) *Idem fere principium juris Naturalis ſed paullo tdmem arctius propoſuit Eruditus Belgarum Medicus, Cl.* LAMBERTUS VELTHUYSEN *in Diſſertatione Epiſtolica* de principiis Juſti et Decori *ſive* Apologia pro tractatu HOBBESII. ubi fines hominis et creaturarum omniumque rerum *ceu prima juris Naturalis principia demonſtrat; aſt male inde HOBBESIUM defendere adnititur, cum famoſiſſimus ille belli omnium contra omnes defenſor plane diverſa principia foveat ac* conſervationem ſui ipſius cum interitu aliorum *propugnet, â quo tamen (ni fallor) laudatus VELTHUISIUS abhorret. Non multam quoque â LAMBERTO VELTHUISIO diſſentit PRITIUS, HOBBESIO maxime quamvis contrarius, in Diſſert. de* primo juris Nat. principio, *ubi idem hocce* ex fine hominis *deſumtum principium ſtatuit, ſed aliam tamen demonſtrandi viam ingreditur. Præterea D: AUG: FRID: MULLERUS, Prof. Lipſienſis, ſcripſit* Introductionem in ſcient. philoſ. *ſive* Einleitung zu den Philoſophiſchen Wiſſenſchafften/ *ubi* part. 3. *jus Naturæ delineavit, ibique* Fines rerum creatarum mediaque ad fines tendentia *pro fundamento omnis moralitatis ponit et ſic* ordinem univerſi *pro primo juris Naturalis principio aſſumit. Quid vero REINOLDUS, quid WIELINGIUS et quid alii hac in re ſentiant, id jam ſupra adnotavi et in ſequentibus ulterius oſtendam, præprimus in Comment* de logomachiis Eruditorum circa primum jur. nat. principium; *hinc in præſenti ſuperfluum duco, plures DDres ὁμοψήφυς adducere.*

(dd) *CARTESIUS* fines rerum naturalium *inter arcana Dei retulit, non ſine maniſeſto in doctrina morali damno. Sic quoque* SPINOSA *omnes* fines in rerum natura *proſcripſit. Scilicet negarunt, rerum na-*

Digitized by Google

moralitatem omnemque per conſequens Religionem funditus tollere velit. Jus Naturæ enim dum vocamus, eo ipſo concedimus, dari jus in ipſa NATURA fundatum & nobis præſcriptum. Sed quæ eſt hæc ipſa *natura*, unde jus illud NATURALE derivari, debeat? Num forſan motum & inſtinctum naturalem pro lege obtrudere velis, ita ut cum ICtis STOICÆ philoſophiæ addictis exiſtimandum ſit, „*jus naturæ eſſe*, „*quod natura omnia* (ee) *animalia docuit*? Sane, *Au-* „*ditores*, nos meliora edocti explodimus STOICORUM opiniones quibus jus naturæ in *morale* & *phy-*



*ſicum*

*naturalium* uſus *in numerum* finium *referri debere*. *Aſt prudentiores Philoſophi jam diu agnoverunt*, Totum hoc univerſum eſſe plenum finibus a Deo intentis *ac proinde* uſus *atque* fines *in naturalibus ſollicite inveſtigare et utile et neceſſarium ipſique ſcopo generali, quem Deus in creatione mundi adſpectabilis intendit, congruum eſſe, ideoque* finales cauſas *multum prodeſſe ad virtutem et pietatem vid.* BOYLII disquiſitio, qua in finales rerum naturalium cauſas inquiritur. *Confr.* RAII l'Exiſtence et la ſageſſe de Dieu manifeſtées dans les Oeuvres de la creation *P. I. pag.* 118. *ſeqq. adde omnino Illuſtr.* L: B: WOLFF in Theolog. Nat. *part.* I. *Cap.* IV. § 647. *et ſeqq. usque ad* §. 660; *nec non EJUSD: Comment.* de differentia nexus ſapientis et fatalis neceſſitatis §. 3. *pag. m,* 6.

(ee) *Notandum tamen eſt, eadem fata, quæ plerumque et aliis viris doctis accidere ſolent, etiam ſtoicæ philoſophiæ anteſignano contigiſſe. ZENO enim aliter philoſophatus eſt, quam ejus diſcipuli CLEANTHES ac CHRYSIPPUS; nam ille pro fundamento doctrinæ moralis poſuit:* Naturæ convenienter vivendum eſſe; *hi vero hanc propoſitionem, uterque pro ſuo captu, diverſe interpretati ſunt, dum CLEANTHES per NATURAM intellexit* nexum univerſi ac rerum in eo exiſtentium; *CHRYSIPPUS autem dictam Præceptoris ſui theſin ad* ſolum hominem *reſtrinxit, ceu patet ex DIOGENE LAERTIO* in vita Chryſippi et Cleanthis. *ZENONIS igitur ſive Stoicorum parentis opinio, ſi juſte interpretatur, ita ut per naturam intelligamus* eſſentiam et nexum ſive ordinem,

rerum

Digitized by Google

*ſicum* diſtinguebant, forſan ſicuti ***naturam naturantem*** et ***naturam naturatam*** abſurde ſibi fingebant; ſed de hiſce prolixius heic ediſſerere, eſſet, filum orationis juſto longius ducere. Sufficit, nos eſſe perſuaſos, quod naturales inſtinctus, qui in diverſis ſubjectis ſæpius diverſiſſimi & plane inordinati ſunt, vim legum habere nequeant,

Quid igitur? ubinam tunc in NATURA jus quoddam inveniamus? Naturam ſi percipias, quatenus mechaniſmo ſuo volvitur, utpote ens mere phyſicum, omni ratione carens, & per conſequens ſubjectum morali-

rerum in hoc univerſo exiſtentium, ***non multum medius fidius! a noſtra ſententia abludit; quæcunque enim ex modo compoſitionis corporum et ex vi ſpirituum concipiuntur, ea ex natura et eſſentia nexuque rerum ſive*** ex ordine univerſi ***conceptibilia ſunt; et ſic, quando*** fines rerum ***ſimul attendamus, totum jus Naturæ conſtituunt. Sed Romanorum Juriſconſulti, Stoam plerique ſequentes, ſe quoque Philoſophos dixêre, veram et non ſimulatam, ut ULPIANUS ſcribit, philoſophiam affectantes; aſt, ut noſtri ſæpius hodierni juriſconſulti, infauſto plane conatu. Arripiebant quippe Romani ICti quaſdam Philoſophorum definitiones, ut ſuam inde artem, artem illam, quam*** divinarum atque humanarum ***rerum*** notitiam ***vocabant, apprime ſcilicet exornarent. Unde quoque enata eſt hæc, quam in L. l. §. 2. ff*** de juſt. et jur. ***ULPIANUS nobis exhibuit et JUSTINIANUS Imperator*** pr. Inſt. de jur Nat. Gent. et Civ. ***repetiit, juris Naturalis definitio, quod nimirum ſit*** id, quod natura omnia animalia docuit. ***Etenim Romani ICti in philoſophia plerique tantum ita verſati, ut Canes e Nilo bibere ſolent, diverſam illam Stoicorum, CLEANTHIS nimirum et CHRYSIPPI, ſectam dubio pede ſequentes, duplicem finxerunt Naturam,*** alteram communem, ***alteram vero*** ſolis hominibus ***propriam; hinc duplex quoque jus in ea fundatum ſtatuerunt, illud*** phyſicum, ***hoc*** morale ***exiſtimantes, illudque*** Juris Naturæ, ***hoc autem*** Juris Gentium ***venditantes. Num vero iſthæc diſtinctio antiquæ ZENONIS ſententiæ ſatis congruat, id ego equidem vix putarem, cum potius poſtea demum CLEANTHES et CHRYSIPPUS, Stoæ ſchiſmatici, juris tricis et inutilibus ſpeculationibus anſam huic hæreſi dederint.***

Digitized by Google

talitatis incapax, nullam in ſe habet poteſtatem legiſlatoriam ac proinde *per ſe* nobis jus ſeu legem præſcribere nequit; tanto minus, quia lex ſeu juſſus imperantis requirat ſuperiorem; *Natura* vero *phyſica* reſpectu noſtri in *moralibus* neque ſuperior neque inferior dici poſſit. Aſt tamen naturam ſi conſideramus humanam, ceu ex corpore organico cum anima *rationali* conjunctam, deprehendimus homines pro libitu ſuo actiones ſuas inſtituere poſſe; & ſic non tantum neceſſarias ſive mechanicas, ſed & *liberas* ſeu *morales* deprehendimus in NATURA actiones. Actiones vero morales prælucente intellectu & decernente voluntate perficiuntur; intellectus autem ea eſt *natura*, ut rerum tum *cauſſas*, tum *fines* cognoſcere ac *totius univerſi*, cujus quædam pars ſumus, auctorem eſſe DEUM, mentem perfectiſſimam, certo intelligere poſſit. Hinc facile percipit homo, ſapientiſſimum ac potentiſſimum hujus *univerſi* artificem omnibus rebus optimum indidiſſe *ordinem* ſingulisque ſuos et univerſis ſummum aliquem *finem* præſtituiſſe atque Eundem eſſe et hominis rectorem, μετα λογȣ καἰ συν λογω καἰ νω τα παντα διακοσμȣντα.

Hunc autem *ordinem totius & fines cujusuis* jus quoddam inferre, ut *ordini totius*, prout *finis cujusuis* exigit, *convenienter* vivamus, ipſa *recta ratio* nobis luculenter dictitat. Etenim actiones morales dependent à voluntate; voluntates autem ſingulorum ſibi ſemper non ſunt ſimiles, ſed diverſorum in diverſa abeunt: ne igitur maxima oriatur confuſio, ORDO deſideratur. Ad *ordinem* vero conſtituendum *norma* opus eſt, ad quam voluntates ſeu actiones inſtituere debent; *norma* autem talis obligans homines, ut ad iſtiusmodi præſcriptum actiones ſuas componant, cum non ex con-

tractu aut conventione ſit conſtituta, LEX eſt; jam vero ſuppoſita lege, ſupponitur juſſus ſeu *voluntas imperantis*; ſuppoſita igitur lege NATURALI ſupponitur decretum ſive voluntas imperantis ex ipſa NATURA manifeſta ſeu promulgata. Quo itaque modo omnipotens ille *naturæ* artifex, ſupremus LEGISLATOR, divinam ſuam voluntatem nobis per ipſam NATURAM (ff) manifeſtaverit, ego equidem, quamvis omnes ingenii nervos intendam, nondum percipio, niſi ex *ordine totius univerſi*, cujus homo quoque pars eſt, & ex *finibus* quibus quamque rem addixit, venerandi NUMINIS ſanctiſſima voluntas *legiſlatoria* liquido conſtaret, &, ut viri Θεοπνευστῳ verbis utar, *ἀΐδιος αὐτου δυναμις καὶ Θειοτης* evidenter appareret.

Hoc

(ff) Naturæ *vocabulum eſt in multiplici ſignificatione: dummodo ex* Stoicorum *errore pro Natura naturante ſive ipſo Naturæ creatore: modo pro univerſi mundi adſpectabilis complexu: modo pro temperamento et habitu corporis animalis: modo pro eſſentia rei: modo pro motus principio ſumitur. Hinc* leges Naturæ *plane aliter in* Phyſicis *accipiuntur, quam quidem in* moralibus; *in Phyſicis quippe Naturæ leges dicuntur principia generalia, unde in ordinatiſſima mundi adſpectabilis coordinatione regulæ motus corporum fluunt et demonſtrari ſolent pro eſſentiali illorum diſpoſitione et inſeparabilibus proprietatibus ac ſic* neceſſitate Naturæ; *Iſtæ vero leges non ſunt neceſſitatis* abſolutæ, *ſecus ac contendit* SPINOSA, *qui immutabilitatem legum noturæ et impoſſibilitatem miraculorum hinc deducere voluit, ſed* hypothetice *tantum ſunt neceſſariæ, in ſe autem mere ſunt* contingentes *et derivantur non ex principio* contradictionis, *ſed et principio* ordinis, convenientiæ *et* perfectionis. *Poſito autem hoc rerum corporearum ordine et poſita hujus mundi adſpectabilis natura ex ipſis rerum eſſentiis hæ et non aliæ inde neceſſario fluunt ſucceſſivæ mutationes, ita ut corpora et tota rerum natura ſecundum regulas mechanicas agant propter fines à ſapientiſſimo creatore intentos. In* moralibus *concurrunt* liberæ *actiones,*

Hoc qui negat, is, is ſane latiſſimam Libertiniſmo atque ſcepticiſmo, immo ipſi Atheiſmo aperit portam nullis repagulis claudendam. Tantum abeſt, *Auditores*, ut hocce principium juris naturalis ex *ordine totius univerſi & finibus rerum quarumvis* petendum ἱτεροδόξον atque impium cenſerem, ut potius exiſtimem, eum qui hominem hominisque actiones *morales* huic *ordini rerumque finibus* atque *hiſce legibus* eximit, ſacrilego cum auſu creaturam creatoris imperio audacter ſubducere atque temere hominem (en veteris ſerpentis fraudem!) ipſo DEO, vah quanta impietas! ſapientiorem reddere velle. Quid enim? Num cum nugaci quodam nequitiarum antiſtite negabimus ad certos *uſus* certosque *fines* cuncta eſſe *ordine* facta? Nemo veſtrum



*nes, à voluntate hominum dependentes; quomodo igitur, hæ voluntates creaturarum rationalium in hoc univerſo ſe determinent? Num a* finibus rerum, *quos ſapientiſſimus creator in hoc univerſo ubique intendit, abeant? Neutiquam. Ergo fines rerum quarumcunque nobis* juris ſeu legum *loco ſunto, ut ſecundum eos noſtras actiones libere inſtituamus. Totum vero hoc univerſum eſt tantum* Ens unum, *ideoque et homines et per conſequens mentes quoque humanæ ad mundum* integrum *ſeu univerſi naturam pertinent; Natura autem univerſi conſiſtit in ordinatione rerum ad officia ſua adimplenda, ut ſic unumquodque agat* convenienter ad finem. *Quis itaque putaret, mentes haſce rationales absque* finibus a Deo intentis *eſſe creatas? Et quis adeo temerarius foret, ut dicere audeat, hoſce fines, quos Deus in creatione* Entium rationalium *in hoc univerſo intendit, ceteris finibus cujuscunque alterius rei particularibus contrariari et ſic univerſum ſive mundum hunc integrum eſſe productum absque* nexu et ordine *atque ſic Deum ſibi ipſi in finibus, quos intendit, eſſe contrarium? Potius omnes fines particulares, quos Deus cuique rei creatæ adſignavit, ita coordinati ſunt, ut propiores ceu media remotiorum ſibi invicem et omnes tandem ſimul fini ultimo, qui eſt patefactio ſummæ perfec-*

Digitized by Google

trum *Auditores optumi*, niſi me ſpes vehementer fallat, veritatem adeo claram unquam ſerio negabit. Saltem me quod attinet, certiſſime mihi perſuadeo, DEUM creaſſe *totum hoc univerſum* non absque *ſufficiente ratione*, ideoque creando eos ſibi propoſuiſſe *cujusque rei fines*, ea *media* elegiſſe, eum denique *ordinem toti univerſo* conſtituiſſe, ut ſingula *media* cum *finibus* cujusuis rei præſtitutis, *fines* vero cujusuis cum *ordine totius* accuratiſſime conſpirent (gg) & res ad unam ſapientiſſimæ potentiſſimæque voluntatis divinæ amuſ-

*fectionis Dei ſive* gloria creatoris *ſubordinentur. Et hic eſt* ordo totius univerſi, *quem Deus per naturam rerum ex finibus cuique rei adaptatos intendit et nobis creaturis rationalibus, ceu normam noſtrarum actionum ſive legem Naturæ univerſalem manifeſtavit.*

(gg) *Eleganter quoque hunc univerſi ordinem deſcripſit Conſiliarius Reipublicæ Genevenſis, Illuſtr.* J: J: BURMAQUI dans Principes du Droit Naturel *part.* 2 *Cap* I § 8 *cujus verba digna ſunt, quæ hic apponantur:* En effet, *dit il*, que l'on jette les yeux ſur cet UNIVERS; on remarquera par tout du premier coup d'oeil une beautè, UN ORDRE, une regularité admirable; et cette admiration ne fera, que croître à meſure, qû'Etudiant la NATURE de plus près, on entrera dans le detail de la ſtructure, des proportions et des uſages de chaque partie. Car alors on verra clairement, que chaque choſe ſe rapporte à un CERTAIN BUT et que CES FINS PARTICULIERES, qnoi qu'infiniment variées entr'elles, ſont ſi habilement menagées et tellement combinées enſemble, qu'elles concourrent toutes à un DESSEIN GENERAL. Malgré cette prodigieuſe diverſitè de créatures, il n'y a point de confuſion; l'on en voit mille et mille éſpeces, qui gardent toutes leur forme et leurs qualitez diſtinctives. Les parties de l'Univers ſ'aſſortiſſent et ſont balancées l'un par l'autre, pour entretenir une HARMONIE GENERALE; et chacun de ces parties a préciſément la figure, les proportions, la *ſituation* et le mouvement, qui lui convient, ſoit pour produire ſon EFFET PARTICULIER, ſoit pour former un BEAU TOUT &c. &c.

Digitized by Google

amuſſim omnes pulcherrime conveniant; huic autem *ordini* totius *ſummus* aliquis præſtitutus ſit *finis* GLORIA (hh) ſcilicet ſanctiſſimi DEI, ἐξ ἀυτε καὶ δι ἀυτε καὶ ἐις ἀυτον τα παντα.

*Ordo* igitur *totius univerſi* eſt *medium* ad glorificandum DEUM tendens & *fines quarumvis rerum* ſunt convenientiſſima *media* ad hunc *ordinem* conducentia. Quicunque itaque ſummum hunc *finem* à potentiſſimo ſanctiſſimoque CREATORE *univerſis rebus* præſtitutum obtinere atque ita ad GLORIAM DEI Optumi Maximi actiones ſuas inſtituere vult, is *recta media* adhibeat ad *ſummum finem* abducentia & ſic *ordini totius univerſi convenienter* vivat. Quomodo autem hoc fieri poteſt niſi obſervet *ſingulis rebus* ſuos præſtabilitos *fines*, qui omnes *ſimul* concordem et exornatiſſimum *univerſi ordinem* efficiunt.

Ex his jam videtis, *Auditores*, quam is plane injurius ſit in ſapientiſſimum DEUM, qui hunc *ordinem univerſi* pro juris naturalis principio non vult agnoſcere. DEUM creatorem nominare & tamen ſtatuere res creatas abſque *ordine* exiſtere, *ordinem* abſque *fine*, quid, quæſo! aliud eſt, quam ipſi DEO ſanctitatem et ſapientiam impie denegare? Quales vero *fines* omnimodæ ſapientiæ convenientes DEUS in creatione *hujus univerſi ſingulis* rebus deſtinare potuiſſet, niſi ex *qua-*

(hh) *Deus enim vi ſapientiæ ſuæ, quæ nihil fruſtra agit*, finem aliquem *intendere debuit; Aſt cum ſit ens independens, infinitum perfectiſſimum per creationem mundi non potuit non propriam ſuam perfectionem quærere; ergo per mundum perfectionis ſuas aliis manifeſtare voluit, quod etiam dicitur* petefacere gloriam ſuam. *Confr. Dan.* WYTTENBACHII Tentam. Theolog. Dogmat. *Tom.* I. *Loc.* 3. §. 270. *et* 271.

Digitized by Google

*quarumvis rerum finibus ordinem univerſi*, ex hocce *ordine* fulgentia ubique oſtendiſſet divinarum ſuarum virtutum inſignia ſanctiſſimamque ſuam *voluntatem* per ipſam *univerſi Naturam* manifeſtaſſet et talem ſe, qualis eſt, in *operibus* (ii) demonſtraſſet, ut inde agnoſcatur, ametur, colatur atque dignis modis omni laude concelebretur.

Aſt quibus DEUS hanc ſuam voluntatem ex *fine et ordine* rerum creatarum manifeſtare potuit? ſane non aliis, niſi creaturis intellectu et voluntate ceu recta ratione præditis; quippe alias totius hujus mundi ſtructura

(ii) *Absque hisce operibus Dei nullæ profecto creaturæ ſive entia finita Ens illud infinitum, et nulla entia contingentia Ens neceſſarium cognoſcere poterant: Fingas enim Ens finitum ſimplex et immateriale ratiocinandi facultate, præditum extra nexum aliarum rerum exiſtere et ſemper extitiſſe. Nullam tunc* experientiam *ope ſenſuum ſibi acquirere poteſt nec gaudet facultate* ſenſationes *ſemel habitas reproducendi, item eas agnoſcendi. id eſt, caret* imaginatione *et* memoria, *quæ conſtituunt* facultatem cognoſcitivam inferiorem. *Quod autem ad* facultatem cognoſcitivam ſuperiorem *attinet, gaudet equidem* intellectu, *id eſt, res ſibi* diſtincte repræſentare *poteſt; ſed quales, quæſo, res extra* ordinem *ſive extra* rerum nexum *ſibi repreſentabit? Ideas rerum omnium* poſſibilium *ſive ordinem mundi integri absque nexu rerum coëxiſtentium ſibi repræſentare non eſt entis finiti, cum id requirat intellectum ſummum et infinitum ceu prorſus Divinum. Absque nexu autem rerum non datur* perſpicientia intellectus, *quæ* Ratio *nobis dicitur. Ideoque absque ordine univerſi ſeu rerum coëxiſtentium nexu mens finita ſibi quidem conſcia eſt et ſic rationem exiſtentiæ ſuæ in ſe non invenit, ſed cum ſit ens* contingens *rationem exiſtentiæ ſuæ ob ideam* cauſalitatis *quærit in Ente* neceſſario *ſive Deo. In tali itaque nexu ſingulari, qui ab unico ente contingente ad Ens neceſſarium deducitur, conſiſtit tota vis ratiocinandi, cum alia entia contingentia in nexu quodam univerſaliori repræſentare ſibi nequeat intellectus finitus, qui extra ordinem hujus univerſi ſive quarumcumque aliarum rerum contingentium exiſtit, exiſtit et exiſtet,*

Digitized by Google

tura *ſummum finem* præſtitutum GLORIAM ſcilicet DEI fruſtraretur: res enim creatæ omni ratione carentes ac proinde veritatum omniſque moralitatis ignaræ per ſe non poterant glorificare creatorem. Ita conditor bonus non eſſet nec opus ejus bonum, utpote non narrans *gloriam DEI.* Ad *ordinem* igitur *univerſi* perficiendum DEUS hominem (kk) creavit, terræ incolam, non ſolum corpore organico, ſed et anima rationali ſeu intellectu et voluntate præditum, qui res divinas atque humanas, *cauſſas*, quibus hæ continentur, et ſingulos *fines* omnemque *rerum* ac totius denique

F

*iſtet. Et hinc ne quidem fingi poteſt, quomodo Deus citra creationem* mundi optimi ſive univerſi cujuſdam contingentis inter ſe connexi *ſummas ſuas perfectiones aliis entibus extra ſe poſitis manifeſtare potuiſſet, præprimis cum omnes res finitæ et per conſequens etiam* ſpiritus finiti ad ordinem rerum creatarum *pertineant ac ceu partes univerſi ſive mundi integri conſiderari debeant. Perfectio eſt conſenſus in varietate, ſive conſenſus plurium à ſe invicem differentium in uno vel ad eundum ſcopum; quo plures igitur ſunt res creatæ à ſe invicem differentes, et tamen ad eundem ſcopum tendentes, eo magis perfectiones Creatoris inde elucescunt. Cum igitur multifariæ res creatæ in toto hoc univerſo, ſive* ſpiritus *ſint, ſive* corpora, *optimo ordine inter ſe conſpirent et ad eundam ſummum aliquem finem tendant; hinc per creationem hujus univerſi, Deus reapſe perfectiones ſuas fulgidiſſime manifeſtavit, adeo ut meliori modo manifeſtare non potuerit, cum hicce mundus in ordine totius univerſi conſideratus revera ſit* OPTIMUS. *Vide omnino præſtantiſſimi Theologi*, DAN: WYTTENBACHII. Tentam. Theolog. Dogmat. *loc.* V. §. 528. *confr. ibidem loc.* III. §. 274. *Ideoque et ſacra ſcriptura teſtatur*, Deum intuitum eſſe omne, quod fecerat, והנה טוב מאד *i. e.* et ecce bonum valde *ſeu OPTIMUM erat. Gen.* I. *v.* 31. *cujus textus Hebraici* [illegible] *nervoſe explicavit vir in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus* DN: CHRIST: L: B: de WOLFF in Theol. Nat. part. I. *Cap.* III. §. 406.

(kk) *Num vero omnia ob ſolum hominem condita ſint, eleganter non minus quam erudite examinavit* P: BÆLIUS continuat. de penſées *p.* 263. *et ſeqq.*

Digitized by Google

que *univerſi ordinem* perſcrutari et, quatenus ipſi opus, noſſe poteſt, immo ad hanc notitiam ſuapte natura quodammodo fertur atque impellitur.

Sed quid ego multis *veritatem* hujus primi juris naturalis principii probare, tanquam rem dubiam, allaboro, de qua ſi verbis diſcrepent, re tamen omnes, quibus mens non prorſus læva eſt, conſentiant. Quis eſt enim, ſi factum hominis contra eos *fines*, quos DEUS homini hominumque ſocietati atque ſingulis rebus optimo *ordine* conſtituit, perpetrari videt, illud non tanquam illicitum et impium dijudicet. Et quis eſt, qui non agnoſcit hominem tum demum ſecundum *voluntatem divinam* actiones ſuas inſtituere, ſi mentis ſuæ facultatibus, intellectu ſcilicet & voluntate corporisque membris et viribus ac omnibus denique rebus in *hoc univerſo ad eum finem eoque ordine* utatur ad quem *finem*, quove *ordine* tum res, tum hominem inprimis condiderit DEUS? ſane vel nulla certa actionum moralium norma eſt, vel haec eſt.

Haec cum ita ſint, *Auditores humaniſſimi*, ex *veritate* noſtri principii paullatim ad ejus *evidentiam* deducimur. Ut vero principium ſit *evidens et perſpicuum*, requiritur, ut nec *latius* ſit, nec *anguſtius*, quam ipſa diſciplina, cui accommodatur, ſed ita diſciplinae ſit *proprium*, ut ipſi *ſoli* conveniat. Hinc minus accurate iſti procedunt, qui τὸ γνωςτὸν τȣ̃ Θεȣ̃ pro principio juris naturalis venditant. Scio equidem, quod illius aſſertores perbelle cauſſam ſuam peroraſſe ſibi videantur, quando Apoſtoli PAULLI verba *ex epiſt. ad Rom. Cap.* 1. *v.* 19. in medium vocant; aſt ſi, quid verum eſt, modeſte dicere liceat, meo judicio hunc textum pro confirmanda ſua ſententia male interpretantur. Hoc

ut

Digitized by Google

ut rectius intelligatur, repetendum eſt, me jam ſupra monuiſſe, quod ex harmonia veritatum & ſic ex nexu ſcientiarum neceſſario conſequatur, dari quoddam principium *univerſaliſſimum*, unde omnes veritates derivari poſſunt, tale autem principium *univerſaliſſimum* non aliud eſſe, quam illud: γνωστον τȣ Θεȣ *ſive exiſtit DEUS*. Cum igitur, quod generi ſive toti convenit, omnibus etiam ſpeciebus ſive partibus convenire debeat; hinc apud me certum eſt, το γνωστον τȣ Θεȣ cum ſit omnium veritatum ac proinde etiam ſcientiarum fundamentum, juris quoque naturalis eſſe principium *verum:* aſt cum ſit *univerſaliſſimum* omnibusque diſciplinis ſcientiarum conveniat; hinc nimis *remotum* eſt ac proinde ſpecialius quoddam principium formari debet, ita tamen, ut juri naturali tanquam *univerſale*, ſed *ſoli* conveniat.

Sequamur igitur, ut diſſentientes eo magis ex proprio argumento errorem agnoſcant, ſequamur, inquam, virum Θεοπνευστον, *qui* το γνωστον τȣ Θεȣ *manifeſtum eſſe dicit, quoniam DEUS patefecit.* Sed quomodo? Num forſan per S. Scripturam ſive ſingularem aliquam revelationem. Vix putarem, *Auditores*; Apoſtolus enim loquitur de iis, ȣ̔τοι νομον μη ἐχοντες, ἑαυτοις ἐισι νομος; ὁιτινες ἐνδεικνυνται το ἐργον τȣ νομȣ γραπτον ἐν ταις καρδιαις ἀυτων. Ex *natura* igitur *univerſi*, ex noſtri ſcilicet cognitione et ordinatiſſima atque ornatiſſima hujus mundi, cujus pars ſumus, compage jam innoteſcit hoc γνωστον τȣ Θεȣ: το γνωστον τοις ΠΟΙΗΜΑΣΙ ἀυτȣ νοȣμενον. Hæc itaque ποιηματα ſive *opera DEI* nobis commonſtrant ſanctiſſimam ejus *voluntatem* ſive *legem naturalem.* Sed qualem? Num



Digitized by Google

ut το γνωστον τȣ Θεȣ perſcrutemur? Concedo (ll) Sed quid inde? Num propterea το γνωστον τȣ Θεȣ eſt principium juris naturalis *primum* ſeu *univerſale* et an *ſoli* huic diſciplinæ *proprium?* utrumque nego. Quid igitur? Ita dicendum eſſe puto, *Auditores*, το γνωστον τȣ Θεȣ eſſe veritatem *metaphyſicam*, quæ quidem neceſſario ſupponi debet, quando officia erga DEUM rite exinde demonſtremus; idolum enim colit, non DEUM, qui DEUM dum colit, eum non cognoſcit. Absque hoc quoque γνωστω totum jus naturæ omnisque proinde moralitas in mera figmenta (mm) abit, quoniam hæc veri-

(ll) *Dicit enim Apoſtolus in cit epiſt. ad* Rom. *Cap.* I. *v.* 20. *Deum ſe ideo maniſeſtaſſe per creationem hujus univerſi, ut homines Eum tanquam verum Deum colerent ac* glorificarent. *Finis igitur, cur Deus hunc mundum produxit, eſt* gloria Ipſius *ſive pateſactio attributonum divinorum, ut inde creaturæ rationales ex cognitione ſummarum perſectionum divinarum ſuam perſectionem vel, ſi mavis, ſalutem ſive felicitatem quærant. Cum igitur perſectiones Dei omnino relationem ad nos habeant; quippe ſtatum noſtrum ſemper et ubique concernunt; hinc* ſummus finis, *quem Deus in creatione hujus univerſi intendit, nobis* ſumma lex eſt *et per conſequens* etiam jure Naturæ *obligamur, omnia facere* in honorem Dei. *Aſt non poſſumus actiones noſtras ad honorem Dei inſtituere, niſi Ejus perſectiones cognoſcamus; mundus autem eſt ſpeculum perſectionum Divinarum ita ut* ἀορατα τȣ Θεȣ ἡτε ἀιδιος ἀυτȣ δυναμις και Θειοτης *inde conſpiciantur. Erga obligamur ex creatione et* ordine mundi integri *ſive* totius univerſi *diligenter perſcrutari* το γνωστον τȣ Θεȣ. *Qui vero hanc Dei cognitionem inſuper habet nec eum tanquam verum Deum in actionibus ſuis liberis colit, is* ſummo fini, *quem per tot et ſingulos rerum fines ſibi invicem omnesque ſummo iſti fini ſubordinatos in creatione mundi Deus ubique intendit, temere contrariatur ac proinde* ἀναπολογητος *ſive inexcuſabilis eſt.*

(mm) *Scio equidem, magnum* WOLFFIUM *(cujus ſumma eſt apud me auctoritas et tanta eruditio, ut ipſius ſententiæ, ſi non ſemper veræ,*

veritas *Exiſtentiæ divinæ* ſeu perfectiſſimi Entis eſt omnium veritatum fundamentum, quo ſublato cadunt, quæcunque etiam ſub nomine VERI et BONI veniunt,

*Ut collapſa ruunt ſubductis tecta columnis.*

Non tamem ideo τὸ γνωστὸν τȣ Θεȣ pro juris naturalis principio venditari poteſt; etenim ſi illud tanquam veritas *mere intellectualis*, ut ita loquar, conſideratur, tunc omnium ſcientiarum eſt principium et ſic *nimis latum et remotum* ac per conſequens nec *evidens* nec *perſpicuum*. Si vero hoc γνωστὸν τȣ Θεȣ tanquam veritas *moralis* perpenditur, tunc eſt *nimis anguſtum* ac proinde non ſatis adæquatum; ſiquidem hoc caſu tale principium ita formari deberet, ut *legem* quandam *univerſalem* complecteretur. Inde hæc propoſitio indolem legis præ ſe ferens reſultaret: *Cognoſce Deum.* Nemo equidem negabit, ejusmodi theſin ſecum involvere legem quandam naturalem; verum nemo tamen, cui



*veræ, ita tamen omni tempore comparatæ ſint, ut non perfunctorie ab illis diſſentiendum ſit) tantum inquam, virum cum incomparabili* GROTIO *ſtatuere:* Etiamſi poſſibile eſſet, non dari Deum, dari tamen nihilominus jus Naturæ. *Aſſi, quid ego hac in re ſentio libere dicere liceat, non video, quomodo non dato legiſlatore et non data lege obligatio obtinere poſſit. Hoc equidem lubens concedo, quod poſitis his rerum eſſentiis et poſita hac rerum Natura ac poſito hujus univerſi ordine per eſſentiam, naturam et nexum rerum actiones noſtræ liberæ, quamvis non dato Deo, ita per ſe determinentur, ut ſtatus noſter vel in melius vel in pejus per libertatem actionum noſtrarum mutari poſſit, indeque reſultet* motivum *quoddam, ſecundum* convenientiam *vel* ordinem rerum *agendi; ſed iſtud motivum vel iſta rerum determinatio non dato Deo ceu legiſlatore* jus ſive lex, *niſi valde improprie, vocari nequit, cum potius* conſilium *tunc dici debeat. Interim hæc ſententia laudatiſſimi*

cui limatum, acre et politum eſt judicium, facile putabit, hanc propoſitionem primum juris naturalis principium comprehendere. Ex hiſce itaque concludo, quod in ſenſu *morali* το γνωστον τȣ Θεȣ pro principio primo *male*, in ſenſu autem *metaphyſico* pro principio omnium omnino veritatum et ſcientiarum *recte* ſtatuatur.

Cum vero in hocce principio *univerſaliſſimo* omnia principia certæ alicui diſciplinæ propria convenire debeant; hinc videndum, quomodo ex γνωστω τȣ Θεȣ principium noſtrum juris naturalis erui & evidenter demonſtrari poſſit. Ubi ego equidem exiſtimo, nihil clarius nihilque convenientius unquam excogitari poſſe, quam ut, ſi *exiſtentia DEI ejusque potentia* ex creatione mundi, cujus pars ſumus, cognoſcitur, ipſius *ſanctiſſima voluntas* ex *finibus rerum creatarum* atque ſic ex *ordine univerſi* recte demonſtretur. Sic ex viribus intellectus humani, ex indole voluntatis, ex nexu, quo

*ſimi WOLFFII tantum monſtri non alit, ut ideo cum quibusdam noſtri ſæculi hominibus magno illi viro notam hæreſeos inurere vellem, cum revera omnis hac de re concertatio in meram* logomachiam *abeat et negari neutiquam poſſit, dari quandam moralitatem* intrinſecam, *quæ ex* natura *et* eſſentia rerum *fluit et ſic* neceſſario talis *eſt; ac proinde dari quandam* moralitatem actionum æternam et immutabilem, nec conſtitutam per voluntatem Dei, ſed pendentem ab intellectu ipſius. *Vid.* CUDWORTHI *Diſſert.* de æterna et immutabili rei moralis ſeu juſti et honeſti Natura *Conſr. Theologi, quem ſæpies ob acumen ingenii venerabundus allegavi*. DAN: WYTTENBACHII Tentam. Theolog. Dogmat. *loc.* I. §. §. 67, 68, 69, 74 *et* 75. *Quæſtio igitur ſolummodo remanet;* num talis moralitas intrinſeca in idea poſſibilitatis ab intellectu Dei antecedenter ad ordinem hujus univerſi repræſentata LEGEM naturæ conſtituat? *De quo infra disquiram prolixius.*

quo hæ duæ facultates cum corpore organico ſunt conjunctæ, & denique ex uſu ceterarum rerum creatarum noſtra officia optime deducuntur. Et nemo unquam quævis juris naturalis officia recte penſitabit, niſi qui hunc *ordinem* perſpectum habet. *Ordo* enim eſt inter creatorem & creaturas rationales : *ordo* eſt inter intellectum hominis ejusque voluntatem & corporis, quocum ligata eſt anima, membra : *ordo* eſt inter hominem ejusque conſocios; inter maritum et uxorem, inter herum & ſervum ; inter imperantes & ſubditos: *ordo* eſt inter homines & bruta ceterasque res ad juſtum hominis uſum conditas. Diligenter igitur meditandum, quis ſtupendi *hujus univerſi* ſit conditor, in qua ſtatione ſive, ut cum Scholaſticis loquar, in quibus prædicamentis reſpectu *ordinis totius univerſi* ſimus conſtituti; ad quem *finem* intellectus nobis et voluntas ſit conceſſa cum corpore organico ; quæ rerum creatarum natura et quis uſus. Atque ſecundum hoſce *ſingularum rerum fines* et ſic ſecundum huncce *univerſi ordinem* ceu *normam voluntatis divinæ* , per ipſam NATURAM nobis præſcriptam , noſtras actiones pie inſtituamus (nn)

Nes-

(nn) *Sic quoque ex ipſa hominis natura, ex rerum eſſentiis, ex relatione ſive nexu rerum inter ſe, ex certis finibus cuique rei adaptatis et à Deo in creatione hujus mundi intentis atque hinc* ex ORDINE UNIVERSI *totum ſyſtema juris Naturæ hauriendum eſſe ſatis aperte indigitat, Illuſtr. Dn.* BURLAMAQUI dans Principes du Droit Naturel *part. 2. cap.* 4 § 5. *En! acutiſſimi viri verba: Le ſeul moyen, dit il, de parvenir à la connoiſſance des Loix Naturelles, c'eſt de conſidérer avec attention* la Nature de l'homme, ſa conſtitution, les relations, qu'il a avec les êtres, qui l'environnent ét les etats, qui en reſultent. *En effet le terme*

Digitized by Google

Neſcio ſane, *Auditores*, an unquam ex limpidiore fonte divinum illud jus NATURALE, quam ex ipſo hoc, quem ſanctiſſimus DEUS κοσμοποιῳ σοφιᾳ NATURÆ conſtituit, *ordine rerumque finibus* haurire liceat? Jus enim, quod, ut cum TULLIO diſertiſſimo ROMULI nepotum loquar, *non didicimus*, *legimus*, *accepimus*, *verum ex NATURA ipſa arripuimus*, *hauſimus*, *expreſſimus*, recte et evidenter ex hacce NATURA, id eſt, ex ipſo *ordine univerſi rerumque finibus* demonſtratur: nam quomodo alias illud jus NATURALE dicatur, quod non ex ipſa NATURA derivatur?

Quid enim? Fingas hominem ſocialem et ex hac ſocialitate præcepta juris naturalis deducas, ſane nihil hoc aliud eſt, quam ex ipſa noſtra *natura*, ex indole ſcilicet humanæ mentis corporiſque noſtri, quo cum con-

*me même* de Droit Naturel, *et la notion, que nous en avous donnée, ſont voir, que les principes de cette ſcience ne peuvent être puiſés que dans* la Nature même et dans la conſtitution de l'homme. *Voici donc deux propoſitions générales, que nous poſerons comme LE FONDEMENT DE TOUT LE SYSTEME DES LOIX DE LA NATURE.*

*I. PROPOSITION.* Tout ce, qui eſt, dans la Nature de l'homme et dans ſa conſtitution primitive et originaire, et tout ce, qui eſt une ſuite neceſſaire de cette nature nature et de cette conſtitution, nous indique certainement, quelle eſt l'INTENTION ou la VOLONTE de Dieu par rapport à l'homme et par conſequent nous fait connoître les Loix Naturelles.

*II. PROPOSITION.* Mais pour avoir un ſyſteme Complet des Loix Naturelles, il faut non ſeulement conſidérer la Nature de l'homme telle, qu'elle eſt en elle même; il eſt neceſſaire encore de faire attention aux relations, qu'il a avec les autres etres et aux divers états qui en ſont la ſuite: autrement il eſt bien manifeſte, qu'on n'auroit, qu'un ſyſteme incomplet et defectueux.

Digitized by Google

conjuncta eſt, conditione & uſu ceterarum rerum creatarum atque ſic ex *ordine rerumque finibus* jus illud *naturale* repetere? Verum multa cum dentur præcepta hujus juris, quæ, ut ſupra jam monui, non ex ſocialitate, ſed potius ex *ordine univerſi*, *per ſingulos ſingularum rerum fines* optime conſtituto, ſunt eruenda, hujus *ordinis*, non vero *ſocialitatis* principium pro adæquato & primo jurisprudentiæ naturalis fundamento haberi debet, præprimis cum ipſa *ſocialitas* ex hocce *ordine univerſi* ſit demonſtranda; ſi enim quæris: *quare ſocialiter vivendum ſit?* Quid aliud reſpondebis, quam quia mentis humanæ corporisque *finis*, qui absque *medio* ſocialitatis obtineri nequit, illud neceſſario requirit et ita *ordo hujus univerſi* id evidenter inculcat. Ideoque ubi adhuc altius poſſum recurrere in aliud principium etiam *eidem diſciplinæ proprium*, potius hoc, ad quod recurritur, non vero illud, à quo recurritur, eſt primum iſtius diſciplinæ principium *evidens* et *adæquatum*. Ab *ordine* autem *univerſi* non datur regreſſus in aliud principium *juri naturali SOLI proprium*, ſed ratio, cur *ordini totius univerſi convenienter* vivamus, unice in eo ſita eſt, quia ſapientiſſimus *univerſi* conditor, qui nihil absque *ſufficiente ratione* fecit, per *fines* cuique rei adaptatos & ſic per ipſum hunc omnium rerum tam *moralium*, quam *naturalium ordinem* ita ſanctiſſimam ſuam voluntatem manifeſtavit.

Aſt dicas forſan, ideone igitur *voluntas* (oo) *divina*,



(oo) *Hoc principium* voluntatis Divinæ *ceu fundamentum juris Naturalis poſuerunt ac ſubtili ingenio ſtrenue propugnaverunt præteriti*

*na*, non vero *ordo univerſi* eſt primum juris naturalis principium? Ita eſt, *Auditores*, ſi voluntatem divinam *anteoedenter* ad hujus univerſi exiſtentiam, ſive, ut loqui amant, *radicaliter* penſitare velitis. Verum id eſt extra tabulas juris noſtri naturalis, cum ejusmodi meditationes ad *metaphyſicam* ſint referendæ; in diſciplina autem JURIS voluntas imperantis *antecedenter* ad ipſarum legum promulgationem conſiderari non debeat.

*ti ac hujus ſæculi magna Decora, pereruditus nimirum* HENRICUS COCCEJUS *et tanto patre digniſſimus Filius Illuſtriſſ.* SAM: L: B: de COCCEJI; *aſt pace ſummi VIRI ab illo principio paullulum abire cogor; Quamvis enim* voluntatem Dei antecedenter *ad legis naturalis promulgationem conſiderare vellem; non tamen inde* hæc ſententia *ſtabilitur, cum potius, ſi in* ſtatu ideali *ſeu* puræ poſſibilitatis *adhucdum verſamur, moralitas actionum noſtrarum ex ipſa earum Natura et eſſentia determinetur; eſſentiæ autem rerum ſunt æternæ et per conſequens immutabiles, ideoque non pendent â voluntate Dei, ſed ab ipſius* intellectu. *Hinc* voluntas Divina *nequidem* antecedenter *ad hujus univerſi ordinem pro primo* moralitatis *principio venditari poteſt. Quod ideo monere debui, quoniani in textu ipſius diſſertationis meæ, hanc rem adeo diſtincte non propoſui. Si vero* voluntatem Divinam in relatione ad ipſius intellectum *penſitemus, conſequens equidem eſt,* voluntatem Dei *non poſſe non conſentire cum* intellectu *ipſius, ideoque* voluntatem *ſequi debere* repræſentationem intellectus *et ſic Deum ſecundum ideas omnium poſſibilium ex motivo OPTUMI hunc Ordinem Univerſi ad exiſtentiam ſive actualitatem produxiſſe, quo ſimul jus Naturæ ex relatione inter creatorem et creaturas rationales, ut iſti* ordini rerumque finibus a ſapientiſſimo Deo ubique intentis convenienter vivant, *manifeſte conſtituitur.* Poſſibilitas *igitur Legis Naturæ* ab intellectu Divino, exiſtentia *autem ejus, quæ locum non habet ſine exiſtentia ceterarum rerum, quibus conformata eſt, pendet, uti exiſtentia ipſarum harum rerum,* â voluntate Divina: *Atque ſic* voluntas Divina *eſt tantum* cauſſa efficiens *juris Naturæ. Ecquis vero inde concluderet, hanc* voluntatem *eſſe principium ſive primam et Univerſalem legem juris Naturæ. Quid enim? Nonne* intellectus Dei *qui conſenſum omnium poſſibilium ac Na-*

at. Ut taceam, ante exiſtentiam (pp) hujus univerſi ne quidem fingi poſſe *legem quandam naturalem*; lex enim ſupponit imperantem & ſubditum, ubinam vero nondum exiſtente hoc univerſo erat ſubditus? Demto itaque ſubdito demitur et Imperans, nam relata et correlata ſe mutuo ponunt ac tollunt. Præterea nec *evidens* nec *perſpicuum* eſt hoc juris naturalis, quod in *voluntate divina* ponitur, principium; quia voluntas

 di-

*Naturam et eſſentias rerum et proinde quoque nexum ſive ordinem totius hujus univerſi ſimul et ſemel diſtincte ſibi repræſentavit, nonne, inquam, hic intellectus Divinus eſt* Ratio determinans legis Naturæ? *Num vero ideo in hac rerum facie* intellectus Dei, *cujus tantum ſequela eſt* voluntas, *pro primo hujus juris principio ſtatuatur? Aliter ſane et acute philoſophatur Reipublicæ Genevenſis Conſiliarius, Illuſtr.* BURLAMAQUI *dans* principes du Droit Naturel *Cap.* 4 §. 2; *cujus verba cum ad illuſtrandam hanc materiam apprime faciant, huc adducere non pigebit: Quand nous demandons, dit-il, quels ſont les PREMIERS PRINCIPES DES LOIX NATURELLES, nous demandons quelles ſont* ces véritez ou ces propoſitions primitives, par leſquelles nous pouvons effectivement connoître, quelle eſt la *VOLONTE DE DIEU* à notre egard; *et parvenir ainſi par de juſtes conſequences à la connoiſſance des Loix particulieres et des devoirs, que Dieu nous impoſe par la droite Raiſon. Il ne faut pas donc confondre les principes, dont il eſt ici queſtion, avec* la cauſe efficiente et productrice *des Loix Naturelles, ni avec le* principe obligatoire *de ces mêmes Loix. Il eſt hors de doute, (et tout le monde en convient) que c'eſt la volonté de l'Etre ſuprême, qui eſt la cauſe efficiente des Loix de la Nature et la ſource de l'obligation, qu'elles produiſent. Mais cela poſé, il eſt reſte encore à ſavoir,* comment l'homme peut parvenir à connoître cette volonté et à trouver des principes, qui en nous aſſurant *de L'INTENTION DE DIEU, nous mettent en etat d'en deduire tous les devoirs particuliers autant qu'on les peut connoître par la ſeule Raiſon.*

(pp) *Jam ſupra de moralitate actionum noſtrarum* intrinſeca *ceu æterna et* immutabili *monui pauca, quæ ex* natura *et* æternitate eſſentiarum *rerum derivavi et ſic de ſtatu ſolummodo* ideali *ſeu* pu-



Digitized by Google

divina nobis promulgata ſit neceſſe eſt, & quidem ita, ut legem ſive normam, ſecundum quam actiones noſtras inſtituamus, conſtituat: voluntas enim imperantis in ſe conſiderata legem non efficit, ſed requiritur, ut actiones ſubditorum *determinet* & *modificet*. Hinc illud: *vive VOLUNTATI divinæ convenienter*; indolem legis ſatis claræ non habet, niſi *modum*, qua ratione huic voluntati ſupremi Imperantis convenienter vivamus, exprimat, determinet & ſic actiones noſtras modificet. Idem enim eſſet hocce principium voluntatis divinæ ac ſi dicerem: *vive LEGI divinæ convenienter.* Quali autem *legi Divinæ* convenienter vivamus, exinde nondum exploratum habemus. Et ſic prius hæc theſis ita formari deberet: *vive legi divinæ NATURALI convenienter.* Sed quamvis hoc modo voluntas DEI ceu ſummi LEGISLATORIS jam magis determinata eſſet, nondum tamen ex hac theſi ſatis diſtincte & clare innoteſceret, *Qualis* hæc ſit divina lex naturalis, ſive in *Quo* conſiſtat hæc ſanctiſſima NU-

ræ poſſibilitatis *intelligenda eſſe volui; Si autem de* actualitate *juris Naturæ quæſtio erit, tunc absque* ordine et nexu rerum *jus concipi nequit; hinc in hocce ſenſu minus accurate iſti loquuntur, qui dicunt, leges Naturæ eſſe* æternas *ſive* Deo coæternas *vid.* *BURLAMAQUI* Principes du Droit Naturel *part* 2. *Cap.* 5. §. 11. *Verum ſi de moralitate actionum, quatenus per* rerum esſentias *determinantur, ſermo erit, tunc jus Naturæ, in ſtatu ideali ſumtum, Deo utique* coæternum *dici poteſt. Aſt tamen omnis hac de re concertatio demum in meram logomachiam abit; priori enim ſenſu lex Naturæ ſumitur pro obligatione* interna; *poſteriori autem ſignificatu pro obligatione* externa; *ob quam duplicem obligationem lex Naturæ poteſt nominari vel* conſilium *vel* lex, *proprie talis, ceu recte obſervavit celeberrimus Bernenſium Theologus DAN: WYTTENBACHIUS* in Tentam. Theolog. Dogmat. method. ſcientif. pertract. *Loc.* I. §. 77. *ibique in ſchol.*

Digitized by Google

NUMINIS voluntas et *qualem normam* vivendi nobis in NATURA conſtituerit DEUS. Qua ratione igitur legi naturali convenienter vivamus, niſi hæc ipſa lex nobis præſcribat modum, quem voluntas ſummi LEGISLATORIS pro *norma noſtrarum actionum* determinaverit? Talis autem *modus*, quo ſupremus LEGISLATOR ſanctiſſimam voluntatem in ipſa NATURA nobis manifeſtavit, conſpicitur in *ordine univerſi ceu finibus rerum*; τα γαρ ἀορατα ἀυτȣ ἀπο κτισεως κοσμȣ τοις ποιημασι νοȣμενα καθορατα. Quid igitur verius, quid clarius, quid evidentius, quid denique magis pium pro *norma ſeu lege quadam univerſali* in jure naturali formari poteſt, quam hoc ipſum, quod propoſuimus et defendimus, noſtrum principium? Principium, quod et ipſe S. Apoſtolus PAULLUS in verbis modo memoratis aperte indigitat, ecquis non admitteret?

Poſſem, *Auditores*, multa adhuc pro *veritate* et *evidentia* hujus principii noſtri in medium proferre, ſed jam ſentio, me orationis fere modum exceſſiſſe. Vos vero, *Auditores humaniſſimi*, ignoſcite, ſi veſtra patientia paullulum abuti et non ſatis ad clepſydram loqui videar. Condonate id integerrimo ſane atque honeſtiſſimo veritatis ſtudio, quo principium noſtrum ceu omnis moralitatis omniſque proinde Religionis primum fundamentum, quod plurimum reverendi THEOLOGI ULTRAJECTINI, VIRI et eruditione et pietate conſpicui, re non ſatis penſitata tanquam impium *inter theſes ab orthodoxia deerrantes* publice in conſpectu Reformatæ Eccleſiæ nuper recenſuerunt, ego nihilominus nullo auctoritatis humanæ præjudicio abreptus eidemque Religioni, quæ à ſtudio reſtaurandæ purioris doctrinæ REFORMATA vocatur, ex animo

 addic-

addictus ipſum, inquam, hocce principium tanquam pium et omnino *orthodoxum* publice quoque, ſed modeſte tamen in conſpectu tot REFORMATORUM, quos ex hacce cathedra non ſine veneratione coram intueri licet, celeberrimorum THEOLOGORUM, aliorumque VIRORUM & vera prudentia & ſolidiori doctrina clariſſimorum jam jam defendere adnitar.

Nec me hic movent Diſſentientium objectiunculæ, quaſi hoc ipſum *ordinis univerſi* principium *inſtinctus naturales & legem naturæ* non ſatis diſcerneret; neſcio enim, quid magis abſonum et, ne quid acerbius dicam, magis elumbe huic noſtro *ordinis* principio opponi poſſet, quam hæc ipſa *inſtinctus naturalis et legis naturalis confuſio*, cum ipſa ratio nos ſatis evidenter doceat, quod ORDO *diſtinguat* CONFUSA. Quomodo igitur in *ordine confuſio* eſſe poteſt? ſane *ordinem* ſtatuere et *confuſionem* admittere, quid aliud eſt, quam ſibi aperte contradicere? Nimis itaque *confuſe* et non ſecundum *ordinem* philoſophantur, qui ex *ordine univerſi* ceu primo juris naturalis principio *inſtinctum naturalem* pro lege nobis obtrudere volunt.

Hoc equidem facile concederem, quatenus inſtinctus naturales *rationi* non contrariantur, eatenus ipſis pie obtemperari poſſe; nam inſtinctus quatenus mere naturales ſunt, id eſt, quatenus in motu phyſico conſiſtunt, neque boni neque mali in ſenſu *morali* vocari poſſunt, ſed plane ſunt indifferentes: ſi vero uſurpantur ſecundum *ordinem prout finis rerum* exigit, ita ut intellectus in iis ducatum teneat voluntasque ſic obſequatur, tunc inſtinctus naturales in hac *moralitate* conſiderati merito BONI; aſt ſi contra *ordinem fineſque rerum* adhibentur, tunc demum MALI dici debent.

Digitized by Google

bent. Exemplo res fiet clarior: ſic inſtinctus naturales adſunt inter marem et feminam, inter parentes et liberos; ſi igitur hi inſtinctus ita cum ratione temperantur, ut *ordini finibusque* conveniant, puta, ut propagando generi humano per ſocietatem conjugalem et honeſtæ educationi prolium inſerviant, tunc non video, quo jure ejusmodi inſtinctus naturales reprobari poſſent. (qq)

Plura hanc in rem exponere volupe eſſet, niſi de veſtro, *Auditores*, aſſenſu mihi jam perſuaderem; ſiquidem ex hiſce quæ jam propoſui, ſatis in aprico eſt, quam vehementer illi ablucinentur, qui ex *ordine hujus univerſi* inſtinctus naturales et jus naturæ confundunt. Etenim inſtinctus naturales in ſe conſiderati, quatenus in motu mere *phyſico* conſiſtunt, actiones *morales* non efficiunt et ſic in hoc ſenſu ne quidem ad *jus Naturæ* referri poſſunt. Aſt cum non bruta, ſed homi-

(qq) *Idem quoque ſentit jam ſupra laudatus Medicus* LAMB: VELTHUISIUS *in diſſert.* de principiis Juſti et Decori, *quem tamen CHRIST: THOMASIUS de* inſufficientia fundamentorum definiendi cauſas matrimoniales *refutare annititur, ſed infauſto plane conatu. Vide GLAFEY* Recht der Vernunfft. *Lib. I. Cap.* 3. §. 58 *et* 59. *In alia autem extrema abit vir illuſtris, celeberrimus Goettingenſium Profeſſor Dn. SCHMAUS, quippe qui in programmate, quod inſcripſit:* Vorſtellung eines wahren begriffs von einem Recht der Natur; *omne Jus Naturale ex ſtimulis, quos Naturales vocamus, derivare auſus fuit, atque GROTII, HOBBESII, PUFFENDORFII, COCCEJI, WOLFII aliorumque ſententias, quibus Jus Naturæ ex principio quodam univerſaliori RATIONIS ope defendunt, tanquam cerebrina figmenta taxavit illudque ſeu monſtrum horrendum, deforme, ingens ſive, ut ipſis verbis VIRI illuſtris utar,* alſs ein in dem Gehirn erdichtetes Recht und eine Mißgeburt, *vocavit. Ob quam monſtroſam opinionem tamen modeſte non minus, quam ſolide refutatus eſt à VIRO eruditiſſimo Dn. JOACH: GEORG: DARIES in* Inſtitut. Jurisprud. Univerſal. *ibique in præfatione Editioni tertiæ præmiſſa.*

homines ſimus, non ſolum corpore animali, ſed & mente rationali prædìti, *ordo* poſtulat, ut utriusque actionum harmoniam attendamus. Si vero inſtinctui naturali coece quis vellet obſequi, is ſane *ordini Naturæ ſuæ* neutiquam convenienter viveret; *liberæ* enim hominum actiones cum fiant prælucente intellectu & decernente voluntate; intellectus autem ſatis percipiat, corpus, quo cum conjunctus eſt, mentis imperio ſubeſſe: hinc plane *ordinem* perturbaret & ſic contra *jus Naturæ* viveret, qui ſecundum inſtinctum naturalem non prælucente intellectu actiones ſuas inſtitueret. Quales vero alias eſſent iſtiusmodi actiones, quæ non prælucente intellectu fierent? Quænam *moralitas* in inſtinctu naturali ceu motu mere phyſico eſſe poſſet, niſi intellectus hoſce naturales inſtinctus ſecundum *boni malique ideas* dijudicare et vel eos plane reprimere vel recto *ordine ad ſuos fines* prudenter dirigere deberet. Sane qui *ordinem univerſi* paullo perquiſitius penſitavit, is facile deprehendit, quod corpus in *ordine* ad mentem, mens in *ordine* ad Deum conſiderari debeat. Corpus vero iterum in *ordine* quoad ceteras creaturas in hoc *univerſi* eſſe poſitum, cum ſine iis nec ſuſtentacula vitæ quærere, nec valeutudinem curare poſſit. *Fines* cuique rei ſunt conſtituti: mambrorum corporis et ſenſuum certus (rr) uſus: intellectus et voluntatis natura optimo *ordine* conſpirant: intellectus facem præfert, voluntas ſequitur atque affectibus corporisque membris et motibus imperat: arctiſſimum ita mentis et corporis eſt

(rr) Uſus *rerum* naturalium *eſſe* fines *à Deo intentos*, *luculenter demonſtravit Illuſtr. L: B: de WOLFF. in* Theolog. Natur. part. I. *Cap:* IV. §. 647. *et ſeqq. confer jam ſupra à me notata ſub lit.* dd.

eſt conjugium et operationum mirabilis concentus. Qui igitur hunc *ordinem* obſervare vult, is, quæ rerum inter ſe analogia ſit, perpendat atque in eo *ordine* atque ad eum; quem ſapientiſſimus *univerſi* conditor conſtituit, *finem* mentis ſuæ facultatibus corporisque membris atque omnibus denique rebus ad ſanctiſſimi DEI *gloriam* ceu *ſummum univerſo præſtitutum finem* ſapienter utatur.

Atque hic eſt, *Auditores*, hic eſt *ordo univerſi*, quem jus Naturæ nobis præſcribit et qui ex *recta ratione* evidenter cognoſcitur. Ideoque teſtatur Apoſtolus PAULLUS, quod gentes, quæ legem non habuerunt, φυσει τα τȣ νομȣ, *natura*, *quæ legis ſunt*, fecerint. Qualis vero erat ea φυσις ſive Natura? Num forſan natura, ut ita loquar, phyſica ſeu inſtinctus quidam naturalis? Næ! talpa coccior eſſet, qui non videt, Apoſtolum heic intelligere φυσιν ſeu naturam *moralem*. In quo autem conſiſtit natura illa moralis ſi hunc *ordinem univerſi* demis?

Nec eſt, quod quis obmoliatur, nos hunc *ordinem univerſi* minus (ſſ) perſpectum habere ac proinde principium hocce non eſſe *evidens* et *perſpicuum*; præ-

H pri-

(ſſ) *Eandem quoque objectionem graviter perſtrinxit prudentiſſimus Reipublicæ Genevenſis Conſiliarius Illuſtr. BURLAMAQUI* dans principes Du Droit Naturel *part.* II. *Cap.* XIV. §. 10. *in verbis:* Et que l'on ne diſe pas, que nous avons des idées trop imparfaites de la Nature de Dieu et de ſes Perfections, pour pouvoir juger de SON PLAN et de *SES DESSEINS avec* quelque certitude. *L'on verra que cette penſée conduiroit inſenſiblement à une eſpéce de Pyrrhonisme moral, qui ſeroit LE RENVERSEMENT DE LA VIE HUMAINE ET DE TOUTE L'ECONOMIE DE LA SOCIETE.*

Digitized by Google

primis cum jus Naturæ etiam rudioribus notum ſit oporteat, hi autem *ordinem* UNIVERSI penſitare ſatis nequeant. Quamvis enim ingenue confitear, me aliorum exemplis edoctum debere concedere, quod admodum pauci *ordinem* UNIVERSI perſpectum habeant, immo non ſolum rudiores, ſed et ſæpies doctiſſimi, quos putant, VIRI in *ordine* UNIVERSI miſere cœcutiant:

> *Rari quippe boni, vix ſunt numero totidem, quot Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili.*

Hoc tamen *evidentiæ* et *perſpicuitati* juris naturalis primi, quod in *ordine univerſi* fundatum eſt, principii nequicquam officit; tales enim omnes, qui *ordinem*, in quo DEUS ipſos in hoc UNIVERSO conſtituit, turpiter ignorant et adhuc ratione ſua gaudent, circa cognitionem ſuorum officiorum, ex *ordine rerumque finibus* deducendorum, verſantur in ſupina ignorantia maxime *vincibili*. Ac proinde horum exemplis *perſpicuitatem* divini illius juris naturalis velle demonſtrare, eſſet, ſanctiſſimam DEI voluntatem legislatoriam, quam *rationalibus* creaturis manifeſtavit, aperte eludere.

Itane igitur ab exemplis præcepta moralia probaremus? Vah quantus ſtupor! Quæramus itaque, amabo vos, *Auditores æſtumatiſſimi*, quæramus, ſi vultis, hominem ruſticum et agreſtem: *quid ſit ſocialiter vivere?* Nonne extremi ingenii vappa putabit, id demum eſſe *vivere ſocialiter*, ſi cum conſociis ſuis in multam noctem diverſoriis pertinaciter inhæreat? Quid? ſi audiat, quod homo teneatur *amare ſe ipſum*; hem! qualem tumorem in vano ac ſtupido homine non experiemur? Unde itaque in corruptiſſimo generis humani

Digitized by Google

mani ſtatu principium quoddam juris naruralis primum, omnibus (tt) æque *perſpicuum* ac *evidens*, inveniemus? ſane mihi et cunctis, queis

*De meliore luto finxit præcordia Titan*,

perſuaſiſſimum eſt, quod ne ullum quidem *evidentius* ac *magis perſpicuum* unquam fingi poſſit, quam, quod



(tt) *Inanem profecto operam impendunt, qui principium Juris Naturalis primum*, omnibus æque perſpicuum, *formare allaborant. Etenim Jus Naturæ* ſyſtematice *ſumtum ſupponit philoſophiam practicam univerſalem, cui iterum tot alia ex Ontologia, Pſychologia, Cosmologia, Teleologia et Theologia Naturali derivata principia ſuccurrere debent, quibus omnibus adhuc accurata cognitio Logices jungenda eſt. Comprehendit igitur Jurisprudentia Naturalis, ſi in toto ſuo nexu proponatur, omnem ſtatum hominis moralem, tam accidentalem, quam eſſentialem, externum et internum, naturalem et civilem, abſolutum et hypotheticum, vel quomodocunque diverſos hominum ſtatus etiam nominare velis. Complectitur proinde* Ethicam *et partem quandam* Theologiæ Naturalis, *ac præterea* Jus Publicum Univerſale, Jus Civile Univerſale, Jus Eccleſiaſticum Univerſale *et* Jus Gentium Univerſale. *Quis vero totum hunc ſcientiæ legum naturalium ambitum ſub uno tantum principio quodam*, omnibus hominibus æque perſpicuo, *juſte coarctabit? Sane ne ullus quidem. Jurisprudentia quippe Naturalis ex principiis Philoſophicis eſt demonſtranda; aſt in terminis* technicis, *quos vocamus, non conveniunt inter ſe Eruditi, cum eidem ſæpius vocabulo à diverſis diverſæ tribuantur notiones. Diverſam itaque linguam* Philoſophicam *loquuntur Eruditi; ſi vero hanc diverſitatem terminorum ſive notionum in principiis particularibus oſtendimus, fieri ſane aliter non poteſt, quin principium univerſale, diverſa particularia ſub ſe comprehendens, etiam à diverſis diverſimode intelligatur; hinc principium Juris Naturalis primum omnibus Eruditis æque perſpicuum eſſe nequit. Illiterati autem terminorum technicorum plane ſunt ignari et ſic nequidem diſtincte percipiunt, quid per* Jus, *quid per* Naturam, *quid per ſtatum hominis* Naturalem, *quid per ſtatum* civilem, *quid per Naturam et* eſſen-

in ORDINE TOTIUS UNIVERSI recte ponitur, juris naturalis principium.

Non equidem requiritur, ut omnes omnino homines *ordinem* TOTIUS UNIVERSI plane perſpectum habere debeant, quo officia SUA exinde cognoſcere queant; ſed tamen quivis *ſingularem ordinem*, in quo eſt in hoc UNIVERSO collocatus, penſitare debet, ſi alioquin officiis ſuis rite fungi et ordinem TOTIUS in

eſſentiam rerum, *quid per* immutabilitatem *Juris Naturæ*, *quid per Jus Naturale* abſolutum, *quid per Jus Naturæ* hypotheticum, *quid per* primum principium *Juris Naturalis*, *quid per principia* Cognoſcendi, Fiendi *et* Eſſendi, *quid per Jus Naturæ* ſubjective, *quid per Jus Naturæ* objective *atque* ſyſtematice *ſumtum*, *quid denique per tot alios terminos in hoc doctrinæ genere intelligamus: imo non ſolum illiteratos, inquam, ſed et ſæpies, proh pudor! eruditos, quos vocant, viros in iſtis notionibus cæcutire videmus. Miror proinde et rideo infantiam illorum, qui ad* evidentiam *principii primi in Jure Naturæ requirunt, ut omnibus æque tam rudioribus, quam doctioribus viris, imo lippis ac tonſoribus perſpicuum ac notiſſimum ſit. Equidem quoad Jus naturæ* ſubjective *acceptum facile largior, omnibus hoc* connatum, *cunctisque æque* perſpicuum *vel potius* proprium *eſſe, cum* ſtimulis eſſentialibus, *qui ducunt ad id, quod eſſentiæ convenit ſive quod bonum eſt, conſtituatur; verum ejusmodi Jus Naturæ* ſubjective *ſumtum non requirit principium quoddam primum, in quo omnes ſtimuli ſive conatus eſſentiales concurrunt; cum et ipſis* brutis, *quæ tamen nec intellectu gaudent, nec ratione, adſcribi debeant conatus quidam eſſentiales, quibus ad ſui ipſius conſervationem, ad ſui generis procreationem ac educationem ducuntur. Aſt cum non bruta, ſed homines ſimus, præter ſenſum externum et internum etiam intellectu et ratione præditi, conſequens eſt, ut ejusmodi ſtimulorum ſcopum cum ratione inquiramus, rerumque nexum perpendamus atque ſic ex rerum notionibus clare et diſtincte perceptis* Ordinem mediorum ad finem *optime ducentium perſpiciamus et denique propoſitiones, ad quarum normam actiones inſtituendæ, inde colligamus: hinc oritur Jus Naturæ* objective *ſumtum. Quum autem porro diverſæ iſtæ propoſitiones, quæ ex rerum eſſentiis et* noti-

in ſua ſtatione obſervare velit. Singuli fere homines *ſingularem* ſuum habent *ordinem*; cuique *ordini* ſuus conſtitutus eſt *finis ex ſingulis ſingularem rerum finibus* eleganter inter ſe coagmentatis, fit *ordo* TOTIUS. Quicunque igitur *finibus ſingularum rerum* ſibi obvenientium ubique obſequitur, is ſemper *ordini* TOTIUS *convenienter* vivit, quamvis etiam TOTUM *ordinem* UNIVERSI non perſpectum habeat; ex ſapi-



*notionibus juſto ordine actiones noſtras determinant, ita inter ſe componantur, ut in concatenato nexu appareant omnesque ſingulæ ſibi invicem ſint ſubordinatæ et demum in univerſali quadam propoſitione, quam* principium primum *vocamus, conſpirent, tunc enaſcitur Jus Naturæ* Syſtematice *ſumtum ſeu, quod idem eſt*, Jurisprudentia Naturalis, *quæ et* Jurisprudentia Philoſophica *merito dici poterit. Hisce præmiſſis facile erit intellectu, inutilem plane et otioſam eſſe disquiſitionem, qua de* neceſſitate *aut de* evidentia *primi cujusdam principii in Jure Naturali tam multis verborum crepundiis disceptatur, adeo ut fere omnis hac de re concertatio in inanes vocabulorum luſus abeat. Quod facile unicuivis patebit, qui modo ſecundum tres diverſas iſtas notiones Jus Naturæ perquiſitius penſitavit; nam in Jure Naturali* ſubjective *ſumto tale principium primum non eſſe neceſſarium per ſe inde fluit; nec poſtulatur illud in Jure Naturali* objective *accepto: aſt in Jure Naturæ* ſyſtematice *ſumto maximopere requiritur. Si itaque primum iſtud principium tantummodo in* ſyſtematica *doctrina ſcientiæ juris naturalis occurrit; hinc ridicula eſt quæſtio:* num tale principium omnibus, tam rudibus quam doctis, æque perſpicuum ac evidens eſto? *Hoc enim ſtatuere, idem eſſet, ac ſi quis defendere vellet, omnes homines, quamvis agreſtres et illiteratos, bonos tamen et acutos Philoſophos eſſe. Interim vero principium* Ordinis Univerſi, *prout illud demonſtravi, præ ceteris intellectu, ut opinor, facillimum eſt et ſub ſe comprehendit totum Jus Naturæ, ſive* ſubjective, *ſive* objective, *ſive* ſyſtematice *ſumtum; nam ubique* ordo *concurrit ac quivis etiam ſtimulis quibusdam eſſentialibus ducitur, ut aliqua* ordini convenienter *vivat. Præterea in* ordine *perfectio eſt, et qui ſe perficere vult, is* ordini convenienter *agere debet. Nemo itaque abſque* ordine *beatus.*

Digitized by Google

entia enim & ſanctitate DIVINI LEGISLATORIS omnino ſequitur, quod SINGULI *fines ſingularum rerum in ordine* TOTIUS accuratiſſime conveniant. Et hinc qui tantum contra *UNICUM finem* rei cujusdam agit, is *ordinem* TOTIUS eatenus perturbat & ſic contra legem naturalem ac proinde etiam contra voluntatem divinam facit.

Qui vero omnem juris naturalis ſcientiam probe perſcrutari atque ſingula ſingulorum officia dijudicare ſtudet, is velis, quod dicitur, equisque adnitatur, ut *TOTUM ordinem UNIVERSI ex ſingulis finibus rerum quarumvis tam moralium quam naturalium* (vv) ſibi in concatenato nexu clare et diſtincte animo repræſentare queat: tunc demum erit, qui non ex lacunis quarundam male inter ſe cohærentium opinionum, ſed ex principiis *veris* atque *evidentibus*, inconcuſſo firmiſſimarum rationum tibicine ſuffultis, omnem, quam late patet, jurisprudentiam naturalem optime demonſtrare poteſt. Sed hoc opus, hic labor eſt! Quis enim *ſingu-*

(vv) *Ad res naturales quoque referri poſſunt uſus rerum* artificialium, *qui itidem ſunt* fines *à Deo intenti. Immo omnis* fortunæ *tam adverſæ quam ſecundæ* effectus *ad* ordinem hujus univerſi *quoque pertinent, cum ex Eſſentiis et Natura rerum fluant, ſeu ideo in hac rerum ſerie ponantur, quia ponuntur hæ Eſſentiæ atque hæc natura rerum: Quæcunque autem ex Eſſentia rerum ac Natura earundem producuntur, ſunt* fines *à Deo intenti. Ideoque et omnes fortunæ tam adverſæ quam proſperæ effectus ad fines à Deo intentos pertinent. Cum vero Deus* fines particulares *ita ſibi invicem ſubordinet, ut ſeſe habeant ceu* media *aliorum conſequendorum ac tandem omnes conſpirent in* fine ultimo. *Hinc per ſe patet, non ſolum res* morales *ſed et* naturales *immo quoque* artificiales, *quas vocamus, ac denique etiam* fortunæ effectus *ad hunc* Ordinem Univerſi *referri atque per conſequens in ſyſtemate* juris Naturalis *ſigillatim*

Digitized by Google

*ſingulos rerum fines* & ex iis *ordinem* TOTIUS UNIVERSI perquiſite et pulchre ubique callebit? Sane me judice ne ullus quidem, niſi qui veritatibus *metaphyſicis* oppido innutritus ac meditationum moralium nexui aſſuefactus exinde ſecundum regulas veræ ac juſtæ demonſtrationis inania à ſolidis probe diſcernere valet.

*Tantæ molis erit DIVINUM oſtendere VERUM.*

Quam vero arduum atque longiſſimo ambitu ſuo diffuſum eſt noſtrum, quod explicavimus, primum juris naturalis principium, ita ut etiam eruditiſſimi VIRI habeant, quo nova in dies elegantiora themata moralia excogitare et exinde juſto ordine rite deducere poſſint, tam quoque ſimplex ac intellectu facile eſt, ut quivis indoctus, qui modo ratione ſua gaudet, officia ſua distincte et perſpicue ex eo recte dignoſcere queat. Hinc miranda omnino ac veneranda in eo maximopere eſt ſanctiſſimi NUMINIS ſumma ſapientia LEGISLATORIA, qua jus univerſale per ORDINEM TOTIUS

*tim perpendi debere, ſunt multa itaque hominis* officia, *ad quæ non ſatis animum advertere ſolemus. Quis vero hæc omnia acute ſcrutetur, niſi qui Naturam et Eſſentiam animæ humanæ, qui vires et facultates intellectus humani, qui indolem voluntatis, qui indolem voluntatis, qui ſummas ſummi Numinis perfectiones, qui uſum rerum naturalium et artificialium, earumque abuſum, qui effectus fortunæ per ſubordinationem finium quarumcunque, qui denique omnium rerum inter ſe dependentiam in concatenato nexu ſibi repræſentare poteſt, id eſt, qui* veritates metaphyſicas *non ex ſcholaſticorum tricis et inutilibus ſpeculationibus, ſed ex principiis veris et evidentibus diſtincte ubique dijudicare valet. Immortales proinde gratias debemus magno CHRISTIANO WOLFFIO, qui doctrinam moralem et Jus Naturæ ex intimis et ſolidioribus principiis metaphyſicis eruit ac abunde demonſtravit, ut ſic tanti VIRI exemplo ſatis aperte conſtet, quantum diſtent æra lupinis!*

Digitized by Google

US UNIVERSI nobis rationalibus promulgavit, *rudibus iuxta perſpicuum ac doctiſſimis adhuc magis magisque perquirendum.*

Etenim omne, quodcunque etiam in ſenſu *morali* ſub nomine BONI MALIQUE venit, idem ſub hocce noſtro principio comprehenditur; nam quo jure aliquid BONUM vel MALUM vocare velis, niſi ſcias, id *finibus*, quos ſapientiſſimus ſanctiſſimusque DEUS ſingulis rebus in hoc UNIVERSO adaptavit, convenire aut contrariari? Ideoque omnis *moralitas* non poteſt non aliter dijudicari, quam ex ſingulis ſingularum rerum *finibus*, quos ſi homo obſervabit, pulcherrima erit illius actionum moralium harmonia, omnesque homines, ſi hanc normam, prout jure naturali ſunt obligati, ſequentur, tunc demum erit elegantiſſimus ordo moralitatis et ubique omnium rerum tam *moralium* quam *naturalium*, ô ſuavis concordia! in hoc UNIVERSO mirabilis concentus. Poſtulo itaque ex ſupra deductis, *ô Rationales!* poſtulo tandem concedi, quod ORDO TOTIUS UNIVERSI *ſit prima, univerſalis, vera, evidens atque ſanctiſſima* LEX NATURALIS.

Ex hoc igitur *ordine* ceu primo juris naturalis principio deducenda ſunt ſingula noſtra officia; ſive enim officia erga nosmet ipſos, ſive erga DEUM, ſive erga alios conſideremus, omnia prono quaſi alveo fluunt ex hocce moralitatis fonte. Quod ut ſigillatim demonſtrarem, jam jam noſtri inſtituti ratio ipſaque rerum ſeries equidem poſtularet; ſed cum ſingula fere officia particularem demonſtrationem requirant, in prolixum ſic mea oratio excurreret tractatum; præprimis cum ſubſtratum hocce juris naturalis principium multis

tis abundet conſectariis, quæ ex alio fundamento rite explicari nequeunt. Advertite modo animum, *Auditores!* perſcrutandis veritatibus metaphyſicis: penſitate mecum, *ô optumi!* penſitate ſummas ſummi NUMINIS (xx) perfectiones: conſiderate immortalitatem (yy) animæ noſtræ: inveſtigate, *VIRI ſubtiliſſimi!* vires et facultates intellectus noſtri: perſcrutamini inſatiabile noſtrum deſiderium ſummi BONI: perpendite connatam humano generi imbecillitatem et (zz) corruptionem. Et quis tunc non videt, quam late pateant



(xx) *Hæ perfectiones Divinæ ſunt regula ac lex actionum noſtrarum. Etenim Deus omnia creavit et contiuet rationem omnium ac proinde quoque noſtrûm; ideoque et perfectiones Ipſius â nobis agnitæ rationem etiam continere debent noſtrarum actionum liberarum, ut eas determinare debeamus ex motivo perfectionum Divinarum, quippe quæ maximam ad nos relationem habent. Non tamen hæc regula ac lex, quam â perfectionibus Divinis deducimus, diverſa eſt ab ea, quam Natura et Eſſentiæ rerum ſive ſinguli ſines rerum quarumcunque in hoc* Ordine Univerſi *nobis præbent, cum potius eadem ſit; ſiquidem idem vult et in perfectionibus Divinis ſinguli ſingularum* rerum fines *rationem ſuam habent atque ita* ordo univerſi *optime convenit cum perfectionibus Dei, nobisque commonſtrat ſanctiſſimam Ejus voluntatem et ſummam ſapientiam legislatoriam.*

(yy) *Sane hæc doctrina de immortalitate animæ noſtræ in moralibus ſive in Jure Naturæ ſummam habet utilitatem. Ablucinantur proinde, qui Jus Naturæ tantummodo ad felicitatem noſtram temporalem reſtringunt; Ipſa enim Natura ac Eſſentia immortalis animæ noſtræ ipſique rerum fines ſivi invicem ac omnes ſini demum ultimo ſive* Gloriæ Dei *ſubordinati ſatis innuunt, perpetuam ac æternam quandam eſſe felicitatem, ad quam animæ noſtræ adſpirare debent: Sed de hisce plura in tractatu meo de* Jure et obligatione Hominis et Civis ad et circa Religionem.

(zz) *Non tamen exiſtimes velim, hanc corruptionem humanam ad* Ordinem Univerſi *pertinere; Deus enim* malum morale *ſeu actiones hominum malas non intendit, tanquam* finem, *ut ideo hominem* con-

teant noſtra, quæ ex *univerſi ordine rerumque finibus* recte demonſtrantur, officia et quam amplus nobis hic ſeſe aperiat campus, è cujus carceribus ad calcem concitato dicendi genere pervenire materiæ gravitas juxta ac ſolemnitas hujus diei prohibet. Hinc potius ipſis officiis noſtris ex primo juris naturalis principio enucleate examinandis propter temporis penuriam in præſenti ſuperſedeo et meas, quas inſtitui, meditationes (aaa) data occaſione ſuo loco in aliud tempus repono.

Interim cum de *ordine totius univerſi* ex principiis moralibus paullulum diſſerere animus tulerit, jam jam hicce ordo quoque exigit, ut videam, in quo ordine ſolemnitas hujus diei me collocaverit. Ordo etenim eſt, A. A. O. O. H. ordo eſt plane ſingularis inter inclytam hancce Academiam ac inter me; quippe lætus

*condere decreverit, ut malas committerat actiones. Immo nec* mala metaphyſica *in numerum* finium *referre vellem; ac præterea non putarem*, mala phyſica, *qua talia, eſſe in numero* finium *à Deo intentorum. Etenim* mala *quæcunque, quatenus à Deo pendent, nihil habent mali, ſed cum* bonis, *in eundem cenſum veniunt, aſt quatenus* vitium *ipſis inhæret, à Deo minime diriguntur nec ad* ordinem univerſi *reſpectum habent. Sublimes profecto in hoc or*dine totius, *ubi* mala *quoque* ad bonos fines *gubernantur, reſident veritates; ſed de hisce forſan alio loco prolixius diſſerendi dabitur occaſio. Interim dignus eſt, qui hac de re legatur Illuſtr. L: B: de WOLFF in* Theol. Natur. *part.* I. *Cap.* IV. §. §. 668, 669, 670, 671, 672, 674, 675, 679 *et præprimis* § 680. *usque ad* 689. *adde huc* §. 893. in ſchol. ibidem *ac* §. 904. *ex quibus omnibus evidenter patebit, quantum hæc doctrina in praxin moralem ſive in* jurisprudentiam Naturalem *influat.*

(aaa) *Haſce meditationes* Jurisprudentiæ Naturalis ex ordine univerſi rerumque finibus *derivatas, tandem aliquando, ſi vita et otium ſuppeditaverint, in ſyſtema quoddam redacturus, publici juris faciam, ut pateat, quam fæcundum ſit hocce, quod hic obiter tantum explicavi,* ORDINIS UNIVERSI *principium.*

Digitized by Google

tus recordor, me per aliquot annos almæ noſtræ Academiæ civem et ſtudioſum ab ore doctiſſimorum celeberrimorumque VIRORUM pependiſſe, quos inter jam ut Promotorem meum æſtumatiſſimum magna cum animi voluptate ex hacce cathedra intueri licet VIRUM in jure civili Romano præclara eruditum, DOMINUM HENRICUM THEODORUM PAGENSTECHERUM. (bbb) TE igitur, VIR *Excellentiſſime, quondam Præceptor fideliſſime, jam vero Promotor ſuſpiciende!* TE, inquam, primum ſalutare ſollemnitas hujus diei à me poſtulat. Poſſem et vellem heic ſigillatim longa et jucunda memoria repetere, quos ego TE docente in jure civili controverſo atque amœniori jurisprudentia critica ex TUIS, quibus me quondam aſſociaveram, collegiis profectus fecerim, ſed ne TUÆ et meæ modeſtiæ bellum indixiſſe videar de hiſce nihil memorare lubet. Potius decentes TIBI, VIR *clariſſime!* ago gratias, quod mihi, quem jam ante triennium peracto triduo examine legali pro gradu DOCTORATUS in illuſtri hocce auditorio publice de MORTE HOMINIS NATURALI diſputantem et poſt habitam hancce diſputationem inauguralem tum temporis quoque de MAJESTATE STATUUM IMPERII (ccc) ex jure publico in lectione, quam vocant, curſoria pro more Academico diſſerentem audiviſti, nunc nunc ſollemni ritu more Majorum ſum-



(bbb) *Jam obiit Vir celeberrimus hoc anno MDCCLII. die VII. menſ. Jun. cujus vitam accurate et ornate deſcripſit Excell. et Celeberr. J: H: WITHOFIUS in* Orat. funebr. *habita Duisb. D. XII. Jun ao. MDCCLII.*

(ccc) *Hæc diſſertatio, quam* de Majeſtate ſtatuum Imperii Germanici *publice in Academia Duisburgenſi habui, nondum typis mandata eſt; atque hodiedum in peregrinas oras extra patriam delato non amplius adeſt mihi ratio, cur in arduo hocce themate magis magisque elaborando tempus conſumam: jam alio enim in Belgio hic vivitur Genio.*

ſummos in utroque jure honores ex ſpectatiſſimi Senatus Academici conſulto conferre decreveris.

VOS vero, reliqui PATRES hujus Academiæ conſcripti, *VIRI plurimum reverendi, prænobiliſſimi, excellentiſſimi, conſultiſſimi, expertiſſimi, ſubtiliſſimi, patriæ et ſæculi ornamenta, clariſſima REGIAE hujus Academiæ decora!* VOS, inquam, inſalutatos dimittere religio mihi foret. Euge! igitur avete togati VIRI! avete! Tanta enim VESTRA erga me fuit benevolentia, tantus erga ſtudia amor, ut me, quem ante aliquot annos ut ſtudioſum et auditorem amaſtis, nuper ut VESTRUM collegam (en quanta erga me fiducia!) exoptaſtis. Aperte iſtud teſtantur bis (ddd) vacante in hac Academia Profeſſione ordinaria juris, plurima VESTRA in me nuncupata vota, toties itidem clementer ſuffragante illuſtriſſimo, quod eſt in ducatu CLIVENSI et comitatu MARCANO, REGIMINE REGIO; ſed ecce! Sic tamen non fuit in fatis. Illuxit vero, ô lætum tempus! illuxit hicce dies,

(ddd) *Immo nuper hoc anno MDCCLII. poſt obitum celeberrimi in Academia Duisburgenſi Profeſſoris Juris, DN: CASP: THEOD: SUMMERMANNI, Præceptoris mei etiam poſt cineres venerandi, tum Perilluſtres hujus Academiæ Curatores, tum plurimum Reverendi et Excellentiſſimi omnium, quas vocant, Facultatum Decani et Profeſſores in vacantem Juris Civilis, Naturalis et Publici Profeſſionem Ordinariam me etiam ultro denominarunt clementer itidem in mei favorem iterum ſuffagantibus generoſiſſimis, ſpectatiſſimisque DDnn. Conſiliariis intimis celſiſſimi Regiminis, quod Clivis eſt, REGII,*

Eſt aliquid TANTIS poſſe placere VIRIS.

*Non equidem me tali dignor honore, ſed interim tamen gratulor mihi quod ſic os obturetur penitus calumniatoribus illis, qui per circulos ſuos garriunt, ac ſi hæc Diſſertatio mea de* ordi-

es, quo publice ea, qua decet, veneratione non leve gaudium conteſtari queam ob TANTORUM VIRORUM de me judicium; laudari enim à laudatis viris ſemper optimam laudem eſſe putavi Et tanto quidem magis id jure quodam laudi mihi ducere poſſum, quia noſtis omnes, me à *crimine ambitus* innoxiam habere mentem. Salvete itaque, FAUTORES optimi! Salvete iterum atque iterum et gratias, quas verbis candido pectore conceptis exprimere poſſum, maximas à me hac occaſione pro tanta VESTRO in me benevolentia publice ea. qua ſoletis, humanitate accipite cum voto devoto, ut DEUS opt: Max. ſupremus Academiarum ſtator, VOS in egregiæ ſtudioſæ juventutis ſalutem pro bono publico adhuc ſeros per annos ſervare ſoſpites ac incolumnes animisque VESTRIS omnia præclara meditantibus veram et non fucatam ſapientiam cœlitus infundere velit. Ita vivite; VIRI celeberrimi! Ita vivite! mihique, dum vivitis, favete!

## D I X I.

ordine univerſi, *neſcio, qualem* hæreſeos *odorem ſuboleret. An igitur Perilluſtres Academiæ Duisburgenſis DDnn. Curatores, prudentiſſimique DDnn. Conſiliarii laudatiſſimi Regiminis, atque omnes Duisburgenſes DDnn. Profeſſores Eruditiſſimi tam acutum non cernunt, illud ut ex habita et publice edita hac mea oratione pervidere potuerint? Si itaque* auctoritate *pugnandum eſt, jam ſatis hac in re* orthodoxus *mihi eſſe videor; ſi vero* ratione *vincendum, tum non video, cur inficetas ſive imperitorum ſive invidorum voculas pertimeſcam. Obtrectationes enim, conviciorum farragines, verborum captationes inanesque de illis contentiones ne flocci quidem facio. Ab Eruditioribus autem Diſſentientibus* ἐν πνεύματι πραό-τητος *meliore doceri nunquam detrectabo, ut liceat mutuo, ceu ipſe in fronte hujus orationis indicavi:*

ΑΛΗΘΕΥΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ.



Digitized by Google

# MONITUM.

SUpra ad Pag. 22. ibique in *not.* ſub litt. V. de poſitionibus quibusdam, quas JCtus Hannoveranus Dn. JO. HELFFR. KREBS actis Litterariis Gœttingenſibus inſeruit mecumque communicavit, monui pauca. Ut igitur et Tibi, *Lector benevole*, pateat, quibus argumentis laudatus VIR in demonſtrando *Ordinis* principio uſus fuerit; en! Tibi ſuccinctas Ejus meditationes:

## GEDANKEN VON DEM RECHTE DER NATUR.

DIe in dem 6ten. Stucke Hannöverſcher gelehrten Anzeigen de 1751. beſindliche vernünſtige Gedancken von der göttlichen Einrichtung des mancherley Vergnügens &c. haben (Nam ut pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepôre conſentiunt, ſic hoc Decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibus cum vivitur *ordine*, conſtantia ac moderatione omnium dictorum atque factorum Cic. lib. I. de offic.) einige attention auf den Urſprung, Bewegungs-Grund, oder End-Urſache des Vergnügens veranlaſſet. Der Herr Autor ſerzt daſelbſt: Das Vergnügeu bei uns enſtehet entweder aus dem Anſchauen einer Volkommenheit oder

aus

Digitized by Google

aus dem Genuſze angenehmer Empfindung. Es iſt in der Folge & quoad genus proximum wahr. Ich gehe aber bey dieſer Gelegenheit, zu meinem Behueffe, weiter und frage: Was hat denn die Vollkommenheit, die angenehme Empfindung, für ein genus remotum, für einen uhrſprünglichen allgemeinen Vorwurff, oder für eine Quelle? Iſt Sie nicht mit dem behaglichen- und Erſtaunens-vollem Weſen der von Menſchen unbegreiflichen-und von dem groſſen Schöpfer Anfangs beliebten-allerweiſeſten Ordnung aller Dinge verknüpft? *Iſt wol eine Volkommenheit da, wo die Ordnung ermangelt? Muſz ich nicht zuvor die Ordnung antreffen, ehe ich durch einen vernunfftigen Schluſz zum Begriff der Volkommenheit übergehen* und die Fackel des Vergnügens dadurch anzünden will? Ich verſtehe überhaupt unter der Ordnung: *Eine zur Erreichung eines feſtgeſetzten Endzwecks ſchickliche Verbindung oder Fügung unterſchiedener Dinge mit-oder in einander;* Unter der Unordnung aber: *Einen die Erreichung des Endzweks verhindernden Gegenſtand oder Mangel.* Daher halte ich, unvergreiflich, dafür: Primum principium omnium delectationum ſey in dem Anſchauen, oder in der behaglichen und die Sinne rührenden Gegenwart der Ordnung, hingegen der erſte Bewegungs-Grund des Miſzvergnügens in der Erblickung und dem Erfinden einer Unordnung uhrſprünglich zu ſuchen. Der weſentliche Begriff von der Ordnung (von der, aus der unerſchöpflichen Tieffe der Güte Gottes unaufhörlich entſpringenden Quelle alles Vergnügens,) gehet in allen von dem Herrn Autore gemachten 5. ſtarcken Claſſen des Vergnügens, in allen unter jeder Claſſe ſich zeigenden Vergnugungs-Arten, ja in allen eintzelnen Vorwürffen vorher. Das Genus in obiger definition der Ordnung iſt ſo allgemein, daſz es bei

jeder

Digitized by Google

jeder Claſſe, bei jeder Art und bei allen nur erdencklichen ſpeciebus des Vergnügens nothwendig zuvor exiſtiren müſſe. Aus obiger Wahrheit läuchtet zugleich dieſe ungezweiffelte Folge: Der allerweiſeſte Gott, als ein *Gott der Ordnung*, hat Selbſt an der von Ihm, bei Erſchaffung der Welt, erwählten und beſtimmten *Ordnung* des Zuſammenhanges des groſſen Welt-Gebäudes, aller darauf und darin erſchaffenen Creaturen in ihrer Art, aller Gewächſe &c. mithin an alle, ohne Wiederſpruch, *mit einander harmonirende*, aus ſolcher allergröſſeſten *Ordnung hervorgetretene Vollkommenheiten* ſo unzählig vieler Arten der Dinge ein allerhöchſtens Wohlgefallen und Vergnügen bezeigt. Er, der Almächtige Gott, ſahe an Alles, was Er gemacht hatte: *Und ſiehe, es war alles ſehr gut.* Was war es, was Got anſahe? War es nicht die unvergleichlich und unerforſchlich *ſchöne Ordnung?* Was vergnügte das Allermildreichſte Majeſtätiſche Weſen? War es nicht die allerweiſeſte *Verbindung aller erſchaffenen Dinge* mit-und in einander? Wurde nicht der von der ewigen und unergründlichen *Weisheit feſtgeſetzſte Zweck*, ohne der geringſten Behinderung, ohne allem Mangel, allenthalben ſo wol *im Gantzen*, als in denen *geringſten Teilchens* auf das volſtändigſte erreichet? Hingegen hat Er auch (nachdem der Menſch die unermeſzlich groſſe Majeſtät des allergutigſten Schöpfers, durch eine *unordentliche* und verbotene Begierde, durch Uebermuth, Zweiffel, Miſztrauen, Leichtgläubigkeit &c. ſo ſehr beleidiget, aus der Herrlichen *Ordnung* in die dem Höchſten Weſen ſo miſzfallige *Unordnung* abgewichen, alles Fleiſch in die *Unordnung* des Verderbens, der Noth und des Todes verfallen, die Erde um der Sünder Willen verfluchet, mithin, durch ſolche abſcheulich groſſe und

K von

von GOtt *verdamte Unordnung* ſo gar die Thiere und alles Geſchöpffe auſſer ihrem, nach ihrer Art, ſonſt volkommenen Geſchicke gebracht; ja durch dieſe Abweichung der Menſch mit Leib und Seel ſich ſelbſt in die gröſzte und *ewige Unordnung* geſtürtzt) durch alle darauf verhängte Beſtrafungen &c. aangezeigt, was für ein Allerhöchſten Miſzfallen und Miſzvergnügen Er an ſolcher von denen Menſchen ihnen ſelbſt zugezogenen *Unordnung* hege. Daſz folglich auch bei Gott die *Ordnung* der erſte Grund des bezeigten Vergnugens im Paradieſe geweſen ſeyn muſſe.

Aus welcher Folge ferner klar iſt, daſz, wie Gott, unſer allergutigſte Schöpffer, uns aus dieſer *unſeeligen Unordnung* dereinſten wieder zu erlöſen entſchloſſen und uns ſchon in dieſer Sterblichkeit zu einer *ewigen vollkommenen und unzerſtörlichen Ordnung* und Ruhe wieder vorbereiten wollen, zu dem Ende Uns, aus unbegreiflicher Liebe, einige weinige allgemeine und vernunftige jedoch zur Wiederherſtellung und Erlangung *der Ordnung* an ſich unzulängliche Regeln gleichſam ins Hertz gepräget, vermittelſt derer furſichtigen Beobachtung wir in dieſer Zeit uns zur kunftigen ewig währenden und *unausſprechlich herrlichern Ordnung* und dem daraus quellenden ewig ſeeligen Vergnugen, jure divino revelato unice operante, das iſt, in bloſſer Kraft der Beobachtung der uns im göttlichen Worte vorgeſchriebenen *Heils-Ordnung*, vorbereiten mögten, ſolche allgemeine dem vernunftigen Menſchen mit angebohrne Reguln auf nichts anders, als auf das Haupt alles warhaften Vergnugens, ich meine, auf die *allerhöchſt-gefallige Ordnung* gezielet haben. Dieſe höchſtvernunftige ſo gar von denen blindeſten Heiden erkante *allergemeine und zur Erhaltung oder Erlangung der*

ſchö-

Digitized by Google

*ſchönen Ordnung abzweckende Richt-Schnure* nennen wir das *Recht*, oder das *Geſetz der Natur*.

Iſt nun Principium primum juris naturæ, oder der Urgrund des Geſetzes der Natur wol etwas anders, als die angeprieſene *Ordnung in dem Weſen der Dinge und deren ſchickliche Verknupffung mit einander?* Kan man dies Principium juris naturæ univerſale nicht jedesmahl mit der *Erfahrung*, *Vernunft* und *Schrift* bewähren? Wann indeſſen der ſo ſehr beruhmte Dn. Grotius in tractatu de jure belli & pacis ſein Principium juris naturæ bloſſerdings in *ſocietate:* Der Gelehrte Dns. Hobbeſius aber in Philoſophia de cive eintzig und allein *in conſervatione ſui ipſius;* hingegen der kluge L. B. Dn. de Pufendorff in libro de officio hominis & civis, item in jure naturæ & Gentium, nur in tribus iſtis *in officio erga Deum, ſemet ipſum & erga proximum;* und andere Auctores juris naturæ in noch andern nicht gantz allgemeinen Begriffen verwahrlich eingeſchloſſen; So iſt es auch gar nicht zu bewundern, daſz die Lehre des juris naturæ in denen vorigen Zeiten dunckel und unvolkommen geblieben, daſz ſie zu vielen politiſchen Diſputen Anlaſz gegeben und ehedem eine ungewiſſe nur in Weitläuftigkeiten vergrabene und von unterſchiedenen Staats-Maximen bekleidete-ja wol zu Zeiten *in der Religion verdächtige Wiſſenſchaft* ſeyn muſzen. Wer merkt aber nicht, daſz dieſe Lehre von dem naturlichen Geſetze nur auf einem eintzigen allgemeinen Begriffe, auf weinige darunter befindliche Claſſen und unter dieſen, auf lauter eintzelne Furfalle beruhet, wobei das dictamen rectæ rationis, oder die geſunde Vernunft und hiernächſt die Concluſiones rationabiles oder richtige Vernunft-Schluſſe das mehreſte wircken muſſen, auch die gantze von

allem

Digitized by Google

allem äuſerlichen, ubermäſzigen und prächtigen Gewand entkleidete Lehre von dem Rechte der Natur auf ſehr wenigen Blättern gantz begrieflich vorgetragen werden konne?

*Göttingen den 24. Martii 1751.*

## *Joh: Helffrich Krebs.*

NB. *De Drukfouten welke in menigte door abſentie van den* Auteur *zyn ingeſloopen, gelieve den Leeſer goedgunſtig te verbeteren.*

4 10.3.15 Pnw 44661

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

00657406

Digitized by Google

Digitized by Google